ANDREAE FRICII MODREVII LIBRI TRES: QVORVM

PRIMVS, de Peccato originis.
SECVNDVS, de Libero hominis arbitrio.
TERTIVS, de Prouidentia & Prædestinatione Dei æterna.

EIVSDEM,

DE MEDIATORE. LIBRI III.

SI QVID HIC DICTVM SCRIPTVM'VE CONTRA VERITATEM, INDICTVM INSCRIPTVM'VE ESTO.

ACCESSIT,
Narratio simplex rei nouæ, & eiusdem pessimi exempli: simul & querela de iniurijs, & expostulatio cum STANISLAO ORICHOVIO Roxolano.

Cum rerum & uerborum in his omnibus memorabilium Indice copioso.

Anno M. D. LXII.

ANDREAE FRICII MODRE-VII QVAESTIONVM DVARVM, ALTERIVS de Peccato originali, alterius de Libero hominis arbitrio, Explicatio: ad Ioannem Christoporinum aulicum & Secretarium Regium, ac municipij Siradiensis actorum magistrum, fratrem suum.

PRAEFATIO.

Vm multę & arduę res, quod tu non ignoras Christoporine frater, à Theologis nostra tẽpestate in disceptationem & quæstionẽ uocatę sunt: tum haud scio an sit omniũ ea difficilima, quæ est de natiua & hæreditaria naturæ nostræ uicios̃itate: & quę huic adiuncta est, de arbitrij nostri libertate, in ijs prę̃stãdis quę à Deo immortali humano generi prę̃scripta & impata sunt. Nõnulli Theologi ita de his quę̃stionib. disputarũt, ut more Academicorũ uel nihil cõcluderent, & tanquã à re dubia & controuersa assensionẽ iudiciũq; cohiberent: uel probabilia tantùm sequenda esse iudicarent: nemini quidẽ necessitatẽ imponentes, suã sententiã & opinionẽ amplectendi, sed omnib. liberam iudicandi potestatẽ relinquentes. Itaq; & Ioannes Carnotẽsis (quod Conradus Gesnerus narrat in sua Bibliotheca) quæstionẽ de Libero arbitrio inter quę̃stiões Academicas refert: & Erasmus Roterodamus librũ, q̃ hãc quę̃stionẽ explicat, inscripsit Diatribã, in quo libro sententias contrarias inter se confert, & quid momẽti in illis

Tom. 1. Bibliothecæ.

sit uel pro lib.arbitrio uel contra lib.arb.ostẽdit. Multis hæc disserẽdi ratio in Theologia minimè probat, in qua firma & certa debere esse omnia affirment: quę incerta & dubia essent, ea huic facultati minimè cõuenire. Itaq; cùm de reb.alijs,tũ de quęstionib. quas diximus, ratas sententias prodiderunt, quas oẽs qui Christo nomina dedêre sine ulla dubitatione sequerentur: qui illis obsisterent, uel qui assensus suos sustinerẽt,eos è rep.Christiana eijciendos censerẽt. Atq; utinã scriptores huiusmodi assertionũ cõcordes inter se essent. facilè in partes suas oẽs pertraherẽt: iusq; haberẽt & assensiones omniũ exigẽdi, & eos damnandi qui ab ipsorũ decretis discreparẽt. Verùm si qua in re alia sunt inter se disiũcti, in his quęstionib. explicãdis sunt longè disiũctissimi. Alius docet,lib.arbitriũ tam boni q̃ mali facultatẽ habere: bonarũq; simul ac malarũ actionũ fontẽ ac radicẽ esse. Alius,ad malũ efficax esse, ad bonũ prorsus inualidũ, affirmat. Hæc an nõ cõtraria sunt? Cùm aũt contraria uera simul esse non possint, consequens est, alterũ illorũ falsum esse. Et tamẽ qui hęc scribunt, & sunt & habent uiri docti, artiũ & linguarũ periti,ac in hac Theologica facultate perquã exercitati. Me quidẽ harũ quæstionũ difficultas ad retentionẽ illã assensiõis Academicis probatã facilè adduceret, nisi & religio obstaret: & utilitas,quæ ex certa earũ cognitione prouenit, diuersum suade-

ret.

ret. Omnino enim religio noſtra in una ſententia perpetuam requirit permanſionem. Dubitatione autem & hæſitatione laborantes, ſimiles eſſe cenſet fluctui maris, uentis acto & excitato. Quanta uerò utilitas ſit harum quæſtionũ, quamq; latè patens, hinc intelligi licet: quòd ad negocium omne aggrediendum, in primis eſt neceſſaria uirium & facultatum noſtrarũ cognitio. Ridentur enim, & pro ſtultis habentẽ, qui maiora audent, quàm quæ humeris ſuis queant ſuſtinere. Laudantur aũt, qui maiorib. uel prorſus abſtineant: uel ſi aggredienda ſunt, duces quęrant, & auxiliatores negocij cõficiendi. Virium porrò & naturæ noſtræ explicatio, ex harum quęſtionum explicatione in primis petenda mihi uidetur: quæ quidem quæſtiones & ipſæ inter ſe colligatę ſunt, & uiam patefaciunt ad quæſtionũ nonnullarũ magni momenti rectam diſſolutionem. Quo quiſque uirium noſtrarum uicioſitatem maiorem ſtatuit, hoc libero arbitrio uires minores tribuit: quo uerò illam minorem ponit, hoc plus huic cõcedit. q; ſi quis perfectã ac omni ex parte abſolutã corruptelã ac deprauationẽ ab ipſo ortu nobis acquiſitã eſſe dixerit, an nõ hic omnẽ libertatis uim adimet arbitrio noſtro? Quæ enim libertas exiſtere poteſt in bonum, ab eo quod omnino corruptũ & deprauatum eſt? Si enim fructus arbori ſuæ neceſſariò reſpondet, an quod ab origine uiciatũ eſt, proferet

ex se opus uirtute dignum: Et hæc quidem de colligatione harum duarum quęstionum. Ex quibus in hanc uel illam partem dissolutis, existit explicatio quæstionis de Meritis operum nostrorum. Etenim posita libertate nostra in bonum, meritum boni operis ponetur: sublata illa, & hoc tollatur necesse est. Nihil nunc dico de externa ui, qua natura nostra corrigi possit. Naturã ipsam per se nunc contemplor. huic quid per se tribui possit, quid ue minus, cõsidero. Quid uerò huic nõ ex se, sed alterius interuẽtu cõuenire possit, de eo erit alius dicendi locus. Ex ijsdẽ quęstionib. cõsequuntur illæ, de nostra iusticia, & de satisfactionib. nostris pro peccatis debitis, quid & quãtum ualeãt. Quo eñ plus est in uirib. nostris situ, hoc plus & ista ualebunt: quo minus, minus ualebunt. Si nihil, nihil omnino ualeant necesse est. Sed hæ quæstiones accuratius suis locis decidũtur. Nunc eò à nobis adductæ sunt, ut quæstionum quas hîc tractamus, magnam utilitatem & amplam ostenderemus. Vt enim apud cæteros qui dicunt artificioſè, consequentia ex prioribus facilè cognoscuntur: ita quæstionibus de naturæ uiciositate & libertate arbitrij nostri rectè & ordine explicatis, facilè expedientur aliæ quæ his respondent, & sunt connexæ. Et me quidem, quęstionum quas proposui difficultatem considerantem, deterret ingenij mei paruitas, ab illis explicandis:

candis: in quibus uideo ingenia ab omnium rerũ cognitione, dicam etiam ab uſu ipſo paratiſsima uehementer ſudare: & tamen ita inter ſe re & ſententia diſsidere, ut non immeritò Lector non ſtultus, uel alteros, uel utroſque falli ac decipi exiſtimet: uel tanquam in biuio conſtitutus, hæſitet utram uiam ingredi debeat, ut poſsit ad metam peruenire. Contrà cognitio earum quæſtionũ, quantam utilitatem afferat, iam oſtendimus. Mihi quidem tanta illa uiſa eſt, ut rerum ex illis pendentium cognitionem perfectam & abſolutam nemo conſequi poſſe uideatur, niſi illis quaſi fontibus cognitis, ex quibus riui iſti manant. Compenſemus igitur cum difficultate ſummam utilitatem: & quod ingenio ac induſtriæ deeſt, labore ſarciamus. Ne tamen magnitudine difficultatũ obruamur, ducem nobis & authorem, quem ſequamur, deligamus: qui ſi ex omnibus unus deposcendus eſt, quem diuo Aurelio Auguſtino Hipponenſi epiſcopo conferàmus, nõ habemus. nam ſcriptor eſt perquàm diligens, omnibus ingenij artibus clarus, in diuinis literis mirificè probatus: ac contentionib. hæreticorũ, quos Eccleſia ſui tẽporis habuit, ualde exercitatus. Sed tãtus homo minimè eget cõmendatione noſtra, quẽ ſua opera Eccleſiæ Chriſtianę ſatis cõmendant: quib. ille eã illuſtrauit nõ ſecus quàm ſol iſte illuſtrat orbem. Nos igit̃, qui ingenio, artib. & exercitatione

illa

illa deficimur, ut in pelago ſanctarũ Scripturarũ uerſari ſponte noſtra poſsimus, ad hũc rectorem nos adiungamus: qui aptet & regat remos noſtros, ut tandem ad portum fœliciter peruenia-mus. Etſi autem ut in alijs quęſtionibus, ita & in his, primas dabimus partes ſanctis Scripturis: tamen quia illæ non eodem modo ab omnibus explanantur, ſanctiſsimũ earum interpretem & doctorem Auguſtinum adhibebimus, quem ſequamur. Quòd ſicubi uidebitur, addemus & aliorum explanationes: ſed modicè, & non niſi neceſſitate coacti. Et eſt hoc quidem argumentum ante nos à multis uiris doctiſsimis copioſiſsimè tractatum. uerùm neque illi aliorum poſt ſe ſtudia reſtrinxerunt: & eſt harum quæſtionum tanta, ut dixi, utilitas, ut homines non ſegnes facilè ad accuratam ſui cõſiderationem excitent. Ego quidem ex aliorum ſcriptis quæ uiſa ſunt delibando, iudiciumq; nonnullum adhibendo, ad memoriam hæc mihi meam conſcripſi. Eſt autem cuique liberum, uel uti his mecum, uel eadem aſpernari. Sed ſatis præfati ſumus: ad rem ueniamus.

AN-

ANDREAE FRICII MODREVII LIBER DE PECCATO ORIGINALI.

CAPVT I.

De originali uirtute, eiq; oppoſito uitio: quid ſit utrunque.

PRIMVM autem agamus de uitio originis. Quod cùm ſonet priuationem, priuatio autem niſi ex habitu cognoſci non poſsit, tractandum eſt in primis de habitu: hoc eſt, de uirtute originis: qua cognita, facilis erit cognitio uitij oppoſiti. Non poteſt autem aptior ratio inueſtigandæ uirtutis originis haberi, quàm ſi originem ipſam hominis conſideremus. De qua ſic Moſes in libro Geneſeos narrat Deum dixiſſe: FACIAMVS hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtri, qui animantibus omnib. & toti terræ dominetur. Itaque hominem Deus ad ſui, id eſt ad diuinam imaginem creauit, marem & fœminam. Hanc imaginem & ſimilitudinem in uirtutibus diuinis poſitã fuiſſe, narrat Ioſua in ſuo Eccleſiaſtico cap. 17. his uerbis: Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum: & iterum conuertit illum in ipſam, & ſecundũ ſe ueſtiuit illum uirtute. Igitur homo ueſtitus erat Dei uirtute: quam Paulus, de inſtauratione eiuſdem imaginis loquens, dicit fuiſſe iuſticiam & ſanctitatem ueritatis. Renouamini, inquit, ſpiritu mentis ueſtræ, & induite nouum hominem qui ſecundum Deum conditus eſt, cum iuſticia, ueraq; ſanctitate. Virtus igitur originalis eſt, iuſticia & uera ſanctitas, imaginem Dei referens, ad quam conditus eſt homo ut ſimilis illius eſſet. Refertur autem iuſticia & ſanctitas ad uirium & facul- *Epheſ. 4.*

tatum naturalium puritatem, synceritatem & mundiciã: & deinceps ad actionum inde existentium cõstantiam. Etenim si homo, ut diximus, ad imaginem Dei conditus est, ut mundi gubernatione quasi Dei uicarium ageret: uix, ac ne uix quidem, hoc munus explere quiuisset, imagine illa nuda atque uacua. Igitur ne rebus sibi commissis abuteretur: utq; fidem quam debebat, præstaret Domino suo, utendis illis & administrandis: oportebat illum uirtute & omni rectitudine exornatum & instructum fuisse, ut & recta intelligentia uteretur & sensibus sanis ac integris, & uoluntate omnibusq; affectibus ad rationis imperiũ compositis: & corporis peræqua proportione, illi ordini congruenti. Ideo Paulus de reparatione huius imaginis, per Adæ lapsum uitiatæ, agens, quod uno in loco dixit iusticiam & sanctimoniam uerã, hoc alibi plurium uirtutum enumeratione explicauit, his uerbis: Induite uos (ut electi Dei, sancti ac dilecti) uisceribus miserationum, benignitate, modestia, mansuetudine, lenitate: tolerantes alij alios, & condonantes uobis mutuò. Super omnia aũt hæc, charitate induti sitis, &c. Ex his liquidò constat, quid sit uirtus originalis.

Ephes.4.

Coloss.3.

Iam uitium oppositũ quid sit, facilè intelligitur. Sic enim definitur ab Anselmo: Vitium originis est, carentia iusticiæ originalis, debitæ inesse. Quam definitionem meritò aliquis reprehendat propterea, quòd carentia huiusmodi non tam sit uitium de quo loquimur, quàm effectus eius. Infecti enim labe & corruptela natiua, priuantur originali iusticia: non secus quàm praue agentibus negatur benignitas & gratia diuina. Quid quòd Anselmus uerbis illis magis indicat à quo remota sit res definita, quàm quid ipsa sit explicat? Vt si quis dicat, malum esse carentiam boni: aut, infirmitatem esse carentiam sanitatis in eo qui debeat sanus esse. Quomodo & Horatius dixit:

Virtus

Virtus est uicium fugere, & sapientia prima
Stulticia caruisse. ——

Etsi autem hoc genus definiendi ab authoribus & magistris disciplinarum usurpatur, & ferè priuationibus est accommodatum. Verùm uitium originis, de quo loquimur, non est sola priuatio: sed est uis ac propensio natiua in malum, originali iusticiæ contraria. Quod & Theologi nonnulli Scholastici prodiderunt. Ioannes Scotus definit quidem originale uitium, formaliter esse carentiam iusticiæ originalis debitæ: uerùm materiale eius uitij dicit esse concupiscentiam in appetitu rationali, qua fit pronus ad concupiscendum immoderatè delectabilia. Thomas autem Aquinas sic: Peccatum originis (inquit) est quædam inordinata dispositio, proueniens ex dissolutione illius harmoniæ in qua consistebat ratio originalis iusticiæ: sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis, secundum quam soluitur æqualitas, in qua consistit ratio sanitatis. Et sicut ægritudo corporalis habet aliquid de priuatione, in quantum tollitur æqualitas sanitatis: & aliquid habet positiuè, scilicet ipsos humores inordinatè dispositos: ita etiam peccatum originale habet priuationem originalis iusticiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ. Vnde non est priuatio pura, sed est quidam habitus corruptus. Quibus uerbis explicat Thomas, inordinationem natiuam esse in illa prauitate uirium inordinatarum, qua homo fertur contra harmoniam uirium, cum qua Adam conditus erat. Hanc uerò inordinationem & ipse Thomas, & Augustinus, Paulum sequentes, uocant tum concupiscentiam, tum legem membrorum: aliquando etiam fomitem. Tametsi nonnulli ex magnis authoribus, concupiscentiam pœnam peccati potius quàm peccatum

Scot. Sen. 2. d. 31.

Tho. 12. q. 82. a. 2.

faciunt: de quo infrà dicemus. Igitur ſi definitio Anſelmi eſt probanda, ut quidem multis Theologis probatur, neceſſe eſt, ex carentia iuſtitiæ concludi præſentiam eius uitij quod iuſtitiæ eſt aduerſum. Quod cùm in alijs habitibus, qui quidem aduerſi ſunt inter ſe, eſt uſitatum: tum uitio de quo agimus eſt aptum & congruens. Vt enim uirtus originalis nõ erat nuda acceptatio, ſed rectitudo erga Deum: in mente quidem cognitionis Dei: in uoluntate cõuerſionis ad Deum, & amoris Dei: in inferioribus uiribus debiti ordinis, & ſubiectionis erga ſuperiores: ita uitium originis non ſolam carentiam uirtutum & imputationem uitiorum ſignificat, ſed naturæ deprauationem in mente, uoluntate & uiribus inferioribus: in quibus ſunt ignorãtia Dei, auerſio à Deo, & inordinatus appetitus contra illam imaginem ad quã Adam effictus fuerat. Docti Græcis literis hoc uitium uocant ἀταξίαν uiriũ hominis: hoc eſt (ut ipſi interpretantur) turbatum ordinem. Non eſt igitur nihil, nec ſola ordinis priuatio, ſed collocatio partium ordini contraria. ita ultra priuationem addit poſitionem cõfuſionis. Sic igitur definitio uitij originis ex aduerſo inferri poteſt, ut ſit iniuſtitia & impietas imaginem Dei, ad quam homo cõditus fuerat, delens, aut certè ualde corrumpens. Sunt enim iniuſtitia & impietas aduerſa iuſtitię & ſanctitatis: quibus duobus uirtutem originis ſuprà definiuimus. Eſt autem iniuſtitia & impietas ad uires diſtortas ac deprauatas referenda: & conſequenter, ad actiones cum Dei uoluntate pugnantes: in quibus quidem uiribus diſtortis, & rationis cæcitatem, & uoluntatis ac omnium appetitionum immundiciam, ac omnem motum inordinatum comprehendendum putamus. Ita breuiter uirtus originis, & ei aduerſum uitium, definita ſunt.

CAP.

CAPVT II.

Eſt'ne uitium originale? Quæ cauſa eius? Qui effectus? Quæ pœnæ?

VT autem hæc magis explicentur, quæſtiones ex ordine tractandæ ſunt, quibus naturæ rerum inueſtigantur. Sumatur autem exordium ab eo, um ſit aliquod uitium originis? Ac ESSE quidem, diuinus uates teſtatur, ſic deplorans miſeriam Pſal. 51. Ecce in iniquitate conceptus ſum, & in peccato concepit me mater mea. Loquitur uates de iniquitate, non quam imitando aut agendo ſuſcepiſſet: ſed quam in partu, & in ipſa conceptione contraxiſſet. Eſt igitur prauitas, quam ab ortu quiſq; affert ſecum in hanc lucem. Quod enim de ſe dicit uates, de omnibus quæ eodem modo ex eadem maſſa naſcuntur intelligendum eſt. Multa ſunt in uetere & in nouo Teſtamento teſtimonia de peccato originali, quæ copioſè ab alijs recenſentur. Sed & illud eſt non minimum: Chriſtus iubet omnes renaſci, ad uitam ingredi uolentes. Niſi quis, inquit, renatus fuerit denuò, non poteſt uidere regnum Dei. Quid neceſſe eſt renaſci, ſi prior natiuitas erat ſine uitio? Quid refingi opus id, quod à primo bene factum eſt? Idem Chriſtus alibi iubet, ut qui ſe ſequi uelit, abneget ſemetipſum. Quid opus eſt abnegatione eius, quod bonum & ſanum eſt? certè bona retinenda, ornanda & augenda ſunt, non abneganda. Etſi autem hæc uerba ad adultos pertinere uideri poſsint: tamen illorum corrupta fuiſſe omnia ab ipſo ortu regeneratione, de qua dixi, oſtenditur. Non immeritò igitur Deus ipſe pronunciat, figmentũ cordis humani malum eſſe à pueritia, atque adeò omni tempore. Quamobrem omnes qui ab Adamo naſcuntur, etiam infantes ipſi, morti obnoxij ſunt: Gen. 8. & 6.

ſcilicet ob peccatum. Quod ubi non eſt, ibi mortem abeſſe oportet: nō enim innocentes puniuntur tanta plaga, à Deo iuſtiſsimo. Notum eſt uerbum Pauli: Stipendium peccati mors eſt. Perſpicuum eſt autem ex iis quæ ſuprà dicta ſunt, hoc originale uitium rectè dici peccatum: non quidem illud quod in dicendo, faciendo, cogitando'ue contra legem Dei conſiſtat: ſed quod eſt (quemadmodum à Ioanne definitur) iniquitas. Nihil eſt enim iniquius hac ordinis peruerſione, cum nec corpus animo, nec partes inferiores ſuperioribus parent: nec mens Deo ſubijcitur, ac legi eius. Quæ quidem etſi in infante non mox ab ipſo ortu apparent: actiones tamen ætatis conſequentis oſtendunt, qualis natura infantis fuerit iam inde ab ipſo limine & ingreſſu uitæ. De CAVSA peccati originis uariè loquendum eſt, pro uaria eius peccati conſideratione. Nam ſi de carentia iuſticiæ originalis queratur, eius cauſa poſitiua nulla eſt: ſed negatiua eſt, Deus non dans. Cur autem non det, cauſa eſt in parente primo Adamo, qui peccando & ſibi & poſteris iuſticiam illam amiſit. Quòd ſi de habitu ex inordinata conſtitutione uirium animæ conſtante quæratur, eius cauſam aperit apoſtolus Chriſti Paulus
Rom. 5. his uerbis: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum. atque hunc hominem Adamum eſſe dicit, de quo Moſes in libro Geneſeos, cap. 2. & 3 prodidit, eum de fructu arboris uetitæ comediſſe: atque ob hoc ex paradiſo pulſum, in terra collocatum eſſe. Atque hic eſt fons & caput, ex quo mala omnia in orbem fluxerunt. Eramus enim omnes homines eadem beatitudine, uita, conditione futuri, qua noſter parens, ex quo prognati ſumus: non ſecus quàm cætera animantia ingenium retinent primorum ſui generis animantum, à quibus in illa natura transfuſa ſint. Verùm Adam iuſtitia & integritate,

gritate, in qua conditus fuerat, ſpoliatus, factus eſt uitioſus: ac de loco ſancto, in quo malum non eſt, expulſus. Non igitur in paradiſo innocentiæ procreabat filios: ſed in hac humo, fontium receptrice. Itaque qualis ipſe erat, tales filios procreabat. Qui enim purum ex impuro faciat (inquit Iobus cap. 14.) nullus eſt. Itaq; de ipſo Adamo Moſes Geneſ. 5. inquit: Genuit hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam. Id enim & in cæteris animantibus uidemus, quorum pulli eo ingenio naſcũtur, quo ſunt illorum parentes: etiamſi per ætatem in actiones ingenij ſui erumpere non queant. Quocirca ut lupi rapaces occiduntur, ita catuli eorum: non ob prædam, quam adhuc non faciant: ſed ob ingenium & uim natiuam rapiendi, quæ apta ſit proferre actiones naturę ſuæ cõgruentes. Paulus quoq; 1. Cor. 15. ſic inquit: Quẽadmodum portauimus imaginem terreni, portabimus etiam cœleſtis imaginem. Quibus uerbis ſignificat, nos imaginem ferre terreni Adami à primordio noſtri, uſq; dum renati imaginem cœleſtis Adami induamus.

EFFECTVS huius mali originalis in hominibus adultis apparent, in actionibus eorum, & operibus ijs quæ contra legem Dei faciunt: ut ſunt, ſuperbia, inuidia, odium, diſſoluta fides, fæuitia, cupiditates & perturbationes uariæ: quæ ceu tempeſtates à uitioſitate illa ingenita excitantur: & alia multiformia peccata, quæ multis in locis Paulus & alij ſcriptores enumerant. In infantibus autem, non mox quidem tales fructus apparent, quales in hominibus ætatis adultæ. Verùm id magis imbecillitate membrorum fit, quàm animi innocentia. Vt enim in catulo lupi, rapacitas nulla conſpicitur, antequam augeatur ætate, roboreq; : ut in angue per hyemem torpente uenenum nullum apparet, etiamſi illud incluſum habeat: ita in pueris latent fructus uitioſæ naturæ, ob membro-

membrorum & animi infirmitatem. Quos tamen nonnunquam produnt actionibus uitiosis. Iraſcũtur benefactoribus, quos ſi poſſent, ulciſci uellent: noxia appetunt: maioribus repugnant: paribus & collactaneis inuident, quod indicant & palleſcendo, & uultu ſeuerio-
Iob.25. re illos intuendo. Nõ immeritò igitur apud Iobum ſcriptũ eſt (ut ferũt LXX interpretes ex Hebræo uertiſſe) Neminem mundum à ſorde: neque infantem, cuius ſit uita unius diei ſuper terram. Et quoniam ut uirtuti decus & gloria, ita uitio pœna debetur: uideamus quæ cõſequatur POENA hoc uitium originis. quam ſic Paulus unà cum culpa ipſa, uno uerſu comprehendit: Per unum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: atq; ita ad omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauerunt. Hæc autem mors à Deo ipſo prædicta & denunciata eſt, cùm Adæ interdicens eſu arboris ſcientiæ boni & mali, diceret illum moriturum eſſe, ſi de ea ueſceretur. Sunt & illa mortem meritam præcurrentia ærumnæ, dolores, labores perpetui. Quæ explicanda ſunt, & pœnæ peccati ex ordine recenſendæ. Primùm aperti ſunt oculi parentum primorum, ſimulatq; peccauerunt: animaduerterunt ſe nudos eſſe, conſertisq; foliis ficulneis fecerunt ſibi ſubligacula: à conſpectu Dei ſe abſconderunt, ad uocem eius territi ſunt. Omnia hæc pœnæ ſunt peccati. In ſolum Deum oculos prius intentos habebant: nunc oculi eorum claudũtur ad Deum, ad alia aperiuntur. Nuditatem ſuam contemplantur, cuius pudet illos: ſcilicet qui prius liberi erant, nunc alienis iudicijs ſeruire incipiunt. operiunt membra pudenda, quos prius nullius rei puditum eſt. Hinc uerò quantæ tenebræ obortæ, quanta cæcitas menti inducta eſt? Videbant prius Deum: & ſe ab illo uideri gaudebant. Nunc congreſſum eius uitant, inter arbores

arbores denſas ſe abdunt: lucem fugiunt, quorum mens caligine obducta, animus timore perculſus eſt. Neque enim ita de Deo exiſtimant, ut prius, cùm animi ſanitatem obtinerent. non iam putant, eum ſuo numine præſentem ubique eſſe: non eum clariſsimis oculis omnia colluſtrare. Itaque in latebras ſe conijciunt: & quem ipſi non uident, eius putant conſpectum ſe fugituros. Ad hæc uoce Dei terrentur. Territus ſum (inquit Adam) audita uoce tua: & abſcondi me, utpote nudus. Pudet eum nuditatis, qui innocentiæ & integritatis amiſit ueſtem. Terretur uoce conditoris ſui, qui hoſtili ſerpentis uoci obtemperauit. Auertit ſe in nemus auiũ, qui à uia & curriculo uitæ deflexit. Ita inuenimus incõmoda prima, quæ Adæ peccatum ſunt ſubſequuta: cæcitatem mentis, & uoluntatis à Deo auerſionem. Eſus uetiti pomi inuexit hæc, & legis à Deo poſitæ uiolatio. Nihil præſtantius ſub cœlo erat Adamo, cum conditus eſſet. Et corpore erat ſaluberrimo, & mente perſpicaciſſima, & animo probiſsimo. Suppetebant ei affatim omnia, quæcunque ad uitam beatè ducendam neceſſaria erant. Verùm cùm ille non contentus rebus ſuis, altiora concupiſceret, illíq; mendacij parenti magis quàm Deo obtemperaret: decidit de gradu, quem tenebat. Affectabat Dei conditionẽ, à mendace illo promiſſam: & de ſua ipſius conditione cecidit. Cùm enim honorẽ, in quo poſitus fuerat, non intellexiſſet: ſimilis factus eſt (ut inquit Dauid propheta) beſtijs inſipientibus. Et quemadmodum ille ordinem erga Deum inuerterat: ita ordo in ipſo inuerſus eſt uirium omnium, ita ut nec affectus rationi, nec corpus animo obtemperaret, ſed inter hæc pugna eſſet perpetua. Tum primùm apparuit, quod poſt Paulus enarrauit: Legem eſſe quæ iram operetur. Mox enim cœleſtis ira effuſa eſt in hanc impietatem &

iniuſticiam: quę duo in ſanctitatis & iuſticiæ locum ſucceſſerunt. Cumq; & Adamus in Euam, & Eua in ſerpentem culpam reiiceret, omnibus ultio & maledictio denunciatur & irrogatur: ſerpenti quidem, eum omnium beſtiarum fore execrabiliſsimum: Euæ autem, ærumnis illam & doloribus fore obnoxiam, & cum dolore natos parituram, & uiri imperio ſubijciendam. poſtremò, Adamo poteſtas in res quæ eius cauſa creatæ ſunt, adimitur, aut certè magnam partem imminuitur: terra infœlix frugibus, & minimè ferax, pro bono ſemine ſpinas & tribulos proferens, res ingratas & nullius uſus: labor perpetuus, in ea colenda & expurganda: ſudor uultus, in uictu quæritando. Nec terra tantùm, ſed & aer & aqua ſine induſtria, arte, labore & hominum manu nihil uſib. noſtris ſubminiſtrant. Sudandum & algendum eſt, ſi uelimus uti. Quæ uerò incommoda, & quanta ſentiamus ab his elementis, quis poteſt enumerare? Aquæ inſalubres, aeris afflatus fœdi & peſtilentes, nauigatio periculoſa, moleſta hyems, moleſti æſtus. Denicq; algores, feruores, inundationes, incendia, morbos, peſtilentias quis non eſt expertus? Beſtiarum quoque, in quas imperiũ homini datum eſt, quanta aduerſus nos rebellio? quanta pugna & inobedientia? Muſcæ etiam, pediculi, pulices, cymices, culices, & alia id genus animalcula, quantum negotium faceſſunt homini? Ab homine item quid non mali euenit homini? Quis enumeret artes malefaciendi, quis uenenorum genera, quis machinas multiformes in alterius perniciem? nec priuatim tantùm, ſed exercitibus incredibilibus bellum ſibi inferunt tum externum tum ciuile, quod ſuperat omne genus calamitatis. Scilicet infida omnia experimur, qui Deo infidi ſimus. Hæc mala, argumento ſunt corruptæ naturæ humanæ: quam in Adamo parente noſtro uitiatam, ad

poſteros

posteros nihilo secius uitiatam peruenisse, indicant ærumnæ, quibus omnis ætas subiecta est. Natiuitas hominis, infantia, puericia, educatio, & reliquum tempus ad mortem usque, quibus & quot incommodis subiectum est? omnia dolore, gemitu, lacrimis, laboribus plena sunt. Corpus uarijs morbis affligitur: mens anxietatibus agitatur: pectus turbulentis affectibus concitatur & concutitur. His malis ulciscitur Deus contemptum sui in hoc animante superbissimo: quod ab eis circumsideatur, ut nihil uideatur eo esse calamitosius. Hæc toleranda sunt in hoc corporis ergastulo: idq; tamdiu, donec extremam illam plagam accipiamus, qua in terram redeamus, ex qua orti sumus. Cùm autem paradisus habitaculum esset beatitudinis & immortalitatis, exactus est inde Adam in terram unde sumptus erat: ea quidem lege & omine, ut ne unquam eò, unde eiectus fuerat, reditus illi esset. In terra maneret sentibus & carduis plena, ærumnis & laboribus destinata, humationi & sepulturæ apta. Eam cum sudore uultus sui tantisper coleret, dum in puluerem rediret: qui ex puluere prodijsset, & puluis esset. Ex his perspicuum est, mortem & afflictiones omnes uitæ huius, pœnas esse peccati. Hoc nonnulli ita cauillantur: Naturalia esse ista homini, non secus quàm sitis, esuries, dolor: constare hominem ex qualitatibus contrarijs, inter se pugnantibus: earum pugnam interitum afferre non tantum homini, sed & alijs animantibus. Quod si illa peccati minime rea, moriuntur: hominem quoque moriturum fuisse, uel si nunquam peccasset. Sic illi. Etsi autem philosophi mortẽ referunt ad qualitates contrarias, ex quarum conflictu existit interitus: uerbo Dei tamen docemur, mortem ingressam esse per peccatũ. Quod nisi cõmissum fuisset, homo immortalis mansisset, Ideo Deus ad parentes

noſtros: Si (inquit) ederitis, moriemini. Igitur niſi ediſſent, mortui nunquam fuiſſent. Non igitur par ratio eſt de homine & animantibus reliquis. Hæc naturâ mortalia ſunt. ille Dei beneficio ad immortalitatem conditus eſt: quam prorſus retinuiſſet, ſi Dei mandato obtemperaſſet.

CAPVT III.

Fuſior definitio uitij originalis.

AD hunc modum cauſis, effectis & pœnis peccati, tum eius quod Adam perpetrauit, tum quod in nos tranſmiſit, demonſtratis, placet de integro definire peccatum originis: idq; ex ſententia Pauli, quam luculenter in epiſtola ad Romanos expreſsit. Eſt igitur peccatum originis, peccatum inobedientiæ, ab Adamo mandati diuini uiolatione in paradiſo commiſſum & ad eius poſteritatem deriuatũ: eam efficiens mortis ream, & omnium calamitatum. Hæc definitio colligit ea quæ iam dicta ſunt. Primùm, hoc malum, peccatum eſſe & dici, ex Paulo iam oſtenſum eſt. Eſſe autem inobedientiam, idem Paulus ſic docet: Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi. Quomodo peccatores conſtituimur, niſi peccato? Quòd ſi illud peccatũ ab Adamo tranſmiſſum eſt, certè idẽ tranſmiſſum quod Adæ fuit. Igitur ſi illud inobedientia fuit, ad nos inobediẽtia defluxit. Hiſtoriã quidẽ ſanctã inſpicienti facilè apparet, minimè ſimplicẽ Adæ inobediẽtiã fuiſſe, ſed multis uitijs cumulatã luſsit Deus Adamũ à ligno ſcientię abſtinere, ne moreretur. Hoc ſerpens cauillando. Nequaquam moriemini, inquit: imò ſi comederitis, ſicut dij eritis, ſcientes boni & mali. Arguit mendacij pater, Deum, mendacij, inuidiæ, illiberalitatis. Adam itaq; uoci ſerpentis obtemperando, obediẽtiã erga

erga conditorem ſuum abiecit, ac reliquit: infidelitate ſe obſtrinxit: fores aperuit ambitioni, quam peruicacia conſecuta eſt. Itaq; uocatus à Deo, ubi eſſet? uocatus inquam, non tam ut præſentem ſe Deo ſiſteret (cui præſentia ſunt omnia) quàm ut delictum confiteretur, uoluntatemq; peruerſam ac præpoſteram mutaret, nihil horũ facere curauit: ſed, Vocem (inquit) tuam uocantis timui, quòd nudus eſſem: itaque abſcondi me. Non dicit ſe peccaſſe, mandato Dei tranſgrediendo: id quod & uerum erat, & reſipiſcenti neceſſariũ: ſed per cauſam nuditatis, timorem fugæ prætexit. Tum Deus, ueram timoris cauſam patefacere uolens: Quis, inquit, oſtendit tibi tuam nuditatem? An de arbore uetita comediſti? Quaſi ſic planius diceret: Nõ nuditas corporis hos tibi pauores incuſsit, ſed peccatum, quod te innocentia & integritate, quibus ueſtitus fuiſti, nudauit. Etſi autem Adam ad hunc modum de peccato inobedientiæ nominatim eſſet poſtulatus: tamen illud nec fateri uult ingenuè, & tergiuerſando culpam reiicit in Euam: Eua denique in ſerpentem. Ita peccatum unum trahit aliud. Et qui obedientiæ lineas tranſiit, hic & infidelitatis & ambitionis & ingratitudinis & hypocriſis & falſi conuictus tenetur. Planum eſt igitur, qualis inobedientia fuit, quæ ab Adamo in genus hominum deriuata eſt, & quibus uitijs cumulata. Dixi autem ſuprà, hoc malũ & concupiſcentiam, & legem membrorum, & id genus nominibus uocari. Verùm cùm & legem membrorum legi Dei contrariam eſſe affirmet Paulus: & concupiſcentia, ea rebellio in hoc ſermone intelligatur, quę contra legem Dei fertur: opinor hæc omnia rectè in nomine inobedientiæ comprehendi, quæ & ipſa non ſolùm obedientiæ detractionem ſignificat, ſed uitium contrarium, nempe uiolationem legis Dei: uel, ut ſuprà ex ſen-

tentia Thomę diximus, inordinationem uirium, & pronitatem ad reſiſtendum legi diuinæ. Reſtringitur autē huiuſmodi inobedientia, ad eam quæ in paradiſo ab Adamo commiſſa eſt. Non enim quælibet inobedientia, nec cuiuslibet: ſed inobedientia ſolius Adæ, & quidem ea quæ in paradiſo ab Adamo admiſſa eſt, ea eſt peccatum nobis quidem originale, Adamo uerò actuale. Per inobedientiā enim, Adami actione commiſſam, nos omnes in ipſa origine tales naſcimur, ut minimè apti ſimus ad obediendum legi diuinæ. Ideo additum eſt in definitione, deriuatum eſſe hoc malum in Adæ progeniem. Quod ſic Paulus, Eraſmo interprete: Per unius delictum propagatum eſt malum in omnes homines, ad condemnationem. Multa quidem ab Adamo peccata admiſſa eſſe, fatendum eſt: ſed extra paradiſum, & extra ſtatum innocentiæ: hoc eſt, cum iam conditoris ſui beneuolentia & fauore perdito, ciuitate illa libertatis amiſſa, exul & ſeruus eſſet, & peccati mancipium, cui ſeruiuiſſet: quemadmodum Chriſtus dixit, ſeruum peccati eſſe qui facit peccatum. Quod igitur de illo faſtigio cadens amiſit, hoc in poſteros transfudit. Quod iam lapſus & quaſi in terra iacens patrauit, id in eo ſolo hæſit, non ulterius tranſmittendum. Neque putandum eſt, actionem Adæ in filios migraſſe (nec enim hoc fieri poteſt: nam cum filij extra paradiſum illi naſcerentur, actio illa longè antea iam tranſierat) ſed macula illius actionis, labes & turpitudo, ad Adæ poſteritatem in ipſo ortu commigrauit: non quidem Adamum deſerendo, ſed contagione ſimilem qualitatem in filijs producendo:

quemadmodum picatum lignum inquinat
alia à quibus tangitur, licet picem à
ſe minimè abijciat.

CAP.

CAPVT IIII.

Sententia eorum qui aiunt, uitium originis reatu tantùm, non etiam culpa transire ad Adæ posteritatem.

ATque hoc loco existit quæstio perdifficilis & perobscura, de transfusione peccati huius hæreditarij à parentibus in filios. De qua quoniam Theologi longè nobilissimi inter se dissentiunt, fit etiam ut de tota ratione huius mali originis dissentiant. Ambrosius Catharinus episcopus Minoriensis natione Italus, & Albertus Pighius Germanus præpositus Traiectensis, ambo uiri Catholici, docti & uigilantes, & in omni Theologia perquàm exercitati, non tantùm actionem quæ prorsus transierit, sed & qualitatem morbosam ac uitiosam quæ in semine ac carne inesset, ab una persona in aliam transmitti negant: tum quòd corpus uitij capax nõ sit, utpote res bruta, sine sensu ac ratione, cui legis diuinæ uiolatio ac inobedientia attribui nõ queat: tũ quòd minimè fieri possit, ut aliqua qualitas seu labes quæ peccatum dicatur, migret de subiecto in subiectum. Ab anima quoque, cùm non à parentibus, sed à Deo creetur pura & omnis prauitatis expers, nihil uitij ad eos qui nascuntur redundare potest. Quòd si in his partibus (præter quas alia in homine non est) nihil uitij ineſt, unde tandem qualitas uitiosa ad Adæ progeniem in ipsa effictione & generatione proueniret? Concludũt igitur, peccatum ad posteritatem Adæ transmissum esse reatu tantum, & pœna. Huiusmodi transmissionem totam ad naturam transferunt ex Adamo sumptam, quam peccatum consequatur. Idq; significari à Paulo, cùm ait Ephes. 2. Nos fuisse filios iræ naturâ. Non eum dicere, corruptione, aut morbosa qualitate, aut uitio ullo nostro;

noſtro: ſed naturâ, hoc eſt natiuitate, & naſcendi conditione. Et quemadmodum ex ſeruis natos, ſeruos fieri non ſuo ipſorum uitio, ſed parentum qui ſeruilis conditionis fuerint: ita ex Adamo filios gigni peccatores, non ſuo peccato, ſed parentis. Cùm enim filij in patrib. eſſe intelligantur, multa illis acceptum referri horum
Rom.11. cauſa. ut Iudæos per ſe ob Euangelium Deo inimicos, gratos eidem eſſe propter patres: & Leuim, cùm nondũ
Heb.7. extitiſſet, in lumbis Abrahæ decimatum eſſe, hoc eſt decumas ſoluiſſe Melchiſedecho. Iure igitur hoc peccatum naturæ eſſe, quod non huic aut illi perſonæ propriè tribuatur: ſed omni, in quo ſit natura humana. Quæ etiã hoc nomine in probris habeatur paſsim apud ſcriptores ſanctos, ut: Omnis homo mendax: Vos ſicut homines moriemini: Cùm ſint inter uos contentiones, non´ne homines eſtis? Ad hunc ſenſum illud intelligi, per ſemẽ transfundi peccatum: quia ſemen ſit, quo contrahamus à patre naturam, quam peccatum conſequatur. Sicut enim, ſi Adam non peccaſſet, iuſticia originalis non ui ſeminis, ſed quia eſſemus poſteri Adæ, ad nos ueniſſet: ita poſtquam Adam peccauit, hoc ſolum à ſemine fieri, quòd hominem conſtituat filium Adæ, atque hoc ipſo peccati reum. In Adamo enim inquit Paulus omnes peccaſſe: nimirum cùm ille peccauit, in quo omnes fuerũt. Hoc enim aliter intelligi non poſſe: ſiquidem peccare ſignificat actionem. Peccatum igitur illud Adæ eſſe, quod in mundum intrauerit: non eſſentia, hoc eſt non actione, nec uitioſitate ſua: ſed reatu, hoc eſt debito & obligatione pœnæ. Totã enim Adæ progeniem ex eo fieri ream, & pœnæ obnoxiam: quæ ſit ratio, & quaſi forma efficiens peccatum. Ita quod Adæ fuit peccatũ perſonale & actuale, nimirum uoluntate & actione eius patratũ. hoc nobis eſſe originale: nempe in illa origine,

ex qua

ex qua naturam duximus, nobis imputatum. Ideoq; & Paulum, qui naturam huius peccati diligentius descripsit, ita loqui, ut regnum mortis acceptum referat uni peccato Adæ, non multis peccatis nostris, quæ singulorum propria essent. Non enim in nobis, sed in illo dicit nos peccasse omnes: unius illius inobedientia, non natura propria, nos peccatores esse constitutos. Ita ab origine nostri generis peccatum ad nos deriuatum esse, quatenus rei sumus mortis & aliarum calamitatum, ob peccatum originis illius toti posteritati impositarum. Ac ne cui absurdum uideatur, puniri aliquem sine culpa à Deo iusto & misericorde, declarant similitudine regis, qui seruum suum aliquem in filium suum sibi adoptaret, & hæredem scriberet cum posteritate eius uniuersa: sed ea lege, si mandatum domini aliquod fideliter & diligẽter perficeret. Quod si ille negligeret ac contemneret, atque ob id hæreditate promissa unà cum posteris priuaretur, posteris causam nullam esse querendi de rege: qui ut patris merito hæredes scripti fuerint, ita eius culpa exhæredes facti essent. Ad hunc modum se habere Deum, qui Adamo cum eius progenie immortalitatem promiserit, si uetita arbore abstinuisset: quam cum ille attigerit, morte damnatum esse, ac regno cœlesti exclusum. Hæc est Catharini ac Pighij sententia de peccato originis: quam ideo pluribus uerbis recensuimus, ut quibus illorum scripta euoluere non uacat, habeant eam in promptu: ac diligenter inspiciant, probanda sit homini Christiano, an minus.

CAPVT V.

Sententia eorum qui non tantùm reatum, ſed culpam & maculam uitij originis, migrare dicunt ab Adamo ad poſteros.

VErùm ſunt plures, & non minus nobiles Theologi, qui transfuſionẽ peccati ab Adamo non tantũ ad reatũ, ſed ad maculã transferũt cõtagione ad nos deriuatam. Quam ſententiã & nos diuinis oraculis, rationi, & ipſis experimentis magis conſentaneam iudicamus. Indignum eſt diuina iuſticia, ut eum puniat qui culpa uacet. Nõ igitur tantùm reatus in nos migrauit, ſed & culpa & macula peccati Adæ ad nos peruaſit. Hoc Paulus teſtatur, cùm ait, Per unum hominem peccatum intraſſe in mundum. nam ſolum reatum nemo rectè peccatum dixerit. Addit: In omnes homines mortem peruagatã eſſe, quandoquidem omnes peccauerunt. Igitur omnes qui mortem & alias pœnas luunt, peccato infecti ſunt. Quis enim ob hoc peccare dicitur, quòd det pœnam peccati? Addit, per inobedientiam unius peccatores conſtitutos eſſe multos. at nemo peccati alieni luens pœnam, ipſe peccati expers, dici poteſt peccator. Non igitur uel peccatoris uel peccati nomine ſolus reatus accipi debet: ſed & macula & uitioſitas & ipſa corruptio, quam ex matris utero afferimus: quemadmodum Dauid fatetur, ſe in iniquitate & in peccato conceptũ eſſe. Paulus quoque, quos peccatores uocat, eos prius dixit impios & inimicos Dei: clarè affirmans, omnem hominem ante reconciliationem impium eſſe, & inimicum Deo. Quibus uocabulis non ſolùm reatus, hoc eſt obligatio ad pœnam ſignificatur: ſed culpa & macula, & deformitas animæ, & qualitates uitioſæ ad actiones uitioſas inclinantes. Has qualitates à primo ortu inſidere in homine,

homine, effectis ipsis indicari potest. neque enim mens nostra ea prorsus uidet quæ sunt spiritus diuini: & quæ uidet, cupiditate mala uincitur ut ne persequatur. Vires quoque hominis inferiores in tantum uitiatæ sunt, ut non possint non repugnare legi Dei. Quemadmodum Paulus inquit, hominem animalem nō capere quæ sunt spiritus Dei. Et, corporis studium ac prudentiam inimicitias esse aduersus Deum: cuius legi nec pareat, nec possit parêre. Et alio in loco, carnem & spiritum tam contrarijs & pugnantibus studijs & cupiditatibus constare ait, ut non quæcunque uelimus, ea faciamus. Et Ephesios hortatur, ut spiritu mentis suæ renouentur, ac nouum hominem induant, conditum diuinitùs cum iustitia ac uera sanctitate. Quibus uerbis significat, mentem eorum corruptam esse, quæ renouatione egeat. 1. Cor. 2. Rom. 8. Gal. 5. Ephes. 5.

Cùm igitur & mens hominis errore de rebus diuinis multo sit implicita, & uoluntas pronitate in malum incredibili sit imbuta, & omnes uires pugnent cum lege Dei acerrimè: an non hæc satis indicant maculam & uitiositatem, hos fructus producentem, penitùs nobis insedisse ab origine, & in uisceribus nostris prorsus inhærere? Quam & quidam Ethnici scriptores cognouerunt, etiamsi fontes & causas huius mali non uiderunt. Aristoteles dicit, continentium & incontinentium rationem propterea laudari, quòd rectè adhortetur & ad res optimas excitet: sed tamē in utrisque aliquid inesse, quod cum ratione ipsa pugnet atq; contendat. Et quēadmodum in partib. corporis dissolutis accidit, ut cum ad dextram mouere uelis, illæ in læuam ferantur: ita in animo fieri. Id quod in incontinentibus appareat, quorum appetitiones in contrarias ferantur partes. Sed id tamen quod in corporibus præter uoluntatem fertur, uideri; in animo uerò non uideri. Omnino autem (sic Ethic. 3.

enim Eustratius uocem, fortasse, interpretatur, qua utitur Aristoteles) putandum esse, quiddam in animo inesse prꝛter rationem, quod rationi ipsi aduersetur & cõtraueniat. Hæc fere Aristoteles. Posidonius quoꝙ inquit, & Galenus refert, in nobis intestina uitiorum semina tanquam igniculos esse: neque tam nobis à uitiosis cauere, quàm uitiorum incrementum restinguere & coercere opus esse. Neque enim (ut Stoicorum fert opinio) totum extrinsecus in animos nostros uitium ingruit: sed plurimum in seipsis uitiosi homines causæ habent. Quod extrinsecus aduenit, longè minus est. Sic ille. Cicero autem, Augustino referente, scripsit libro de Rep. 3. hominem nõ ut à matre, sed ut à nouerca Natura editum in uitam, corpore & nudo & fragili & infirmo: animo autẽ anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenij & mentis. Addit Augustinus, Ciceronem non dixisse, hæc male uiuentium moribus effecta esse: sed naturam potius accusasse. Rem illum uidisse, causam nescisse. Latuisse enim, cur esset graue iugum super filios Adæ à die exitus de uentre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omniũ: quia sacris literis non eruditus, ignorabat originale peccatũ. Hęc ille. Alĩ quoꝙ philosophi & scriptores, qui ingeniũ humanũ penitus perspicere conati sunt, multa de rebellione naturæ nostræ contra Deũ, & rectam uiuendi rationẽ prodiderunt. ut:

— Video meliora, proboq́;, Deteriora sequor. — Et:

Quæ nocuére, sequar: fugiam, quæ profore credam.

Galenus in lib. Quòd animi mores corporis temperaturas sequantur.

Aug. cont. Iuli lib. 4. cap. 12.

CAPVT VI.

Solutio rationis prioris sententiæ, de reatu tantùm.

NEque difficile est respondere, hanc sententiam sequenti, ad argumentum contrarium. Etsi enim corpus

corpus per se peccati subiectũ esse nõ possit: tñ ex coniunctione eius cũ anima, transit ab hac in illud labes & macula. Hoc qui miratur, miretur in primis hanc coniunctionem duarum rerum prorsus contrariarum, & se inuicem impugnantium: quarum altera est corporea, altera incorporea. Quæ quidem coniunctio tanta est, ut altera pars ab altera afficiatur. nam animæ affectiones in corpus proferũtur: nõ potestq; animus ipse in actus suos prodire, quin corporis utatur ministerio. Et incommoda corporis peruenire ad animum, Salomon in sua Sapientia testatur his uerbis: Sunt enim mortalium cogitationes miseræ, periculosaq; nostra commenta: quippe cùm mortale corpus animum grauet, obruatq; mentem terrestre uas. Constat enim animam, corpore, cui unita est, uulnerato, aut alio malo affecto, uarijs molestijs affici. Ex acutis febribus phrenitidem exoriri uidimus: & memoriam quosdam perdidisse ex uulnere accepto proditum est. Quid igitur miri, si anima Adæ, peccato ipsius inquinata, inquinauerit locum & quasi indumentum suum, nempe corpus ipsum? Deinde quid miri, si corpus ueneno inquinatũ, simile sibi generauerit? in quod anima tandem ueniens, pura quidem illa & omnis inquinamenti expers, maculata sit & ipsa: non secus quàm pomum candidum cruentatur, cruenta manu receptum: & uinum bonum, in uas quod aceto infectũ est, transfusum, acescit & ipsum. Etsi uerò quod in corpore inest, uitij naturam nõ habeat: tamẽ cùm in animã migrat, uitiũ est. quẽadmodũ philtra nihil amoris, nihil furoris in se habent: & tamen ab homine hausta, amorem & furorem in animum eius immittunt. Si cui hæc uel parũ ad rem facientia, uel philosophica magis quàm theologica uideantur, hic contentus sit oraculis diuinis: quæ affirmant, per unum hominem peccatum intrasse

Sap. 9.

in mundum: &, per unius inobedientiam peccatores cõstitutos esse multos: cumq; non possit de immundo semine nasci nisi immundum, fieri non posse nisi ut filij omnes Adæ concipiantur in iniquitate, & in peccato nascantur. Hæc enim omnia in libris diuinis scripta sunt: ultra quæ à Theologo plus expectandum nõ est. Itaque curiosius roganti causam, quamobrem Deo uisum est ut macula Adæ inficeretur totum genus hominum, uix aliud responderi potest, quàm quod Paulus arcana Dei rimantibus respondet: O homo, tu quis es? Nunquid potest lutum figulo? & reliqua. Notæ autem sunt offensiones prudentiæ humanæ, cui iniustum uidetur ut uel culpa primi parentis in posteros deriuetur: uel anima iniquitatis expers cum corpore coniungatur, à quo mox inquinetur. Ad æternam felicitatem eam cõditam esse: non igitur in hoc uas conijciendã, quod eam à fine suo excludat. Quòd si animam innocentem in infernum detrudi iniquum: an non magis iniquum esse, in eiusmodi receptaculum illam conijci, in quo non pœnam (ut in gehenna) dependat, sed maculam ineuitabilem concipiat, simulq; iram numinis contrahat: quæ mala multo sint maiora, quàm pœna ipsa. non enim pœnam luere adeò malum est, atque pœna dignum esse. Hæc sunt prudentiæ humanæ argumenta, quæ authoritate uerbi Dei magis retundenda sunt quàm ullis rationibus. Voluit Deus ob peccatum primi hominis uniuersam posteritatem punire hac macula. Quæ quatenus in homine est qui eam contraxit, peccatum est, ut superius monstratũ est. Quatenus à Deo proficiscitur, peccatum non est. non enim Deus peccati author est: sed est pœna peccati, à primo parente in prolem deriuati. Et potuit quidem Deus, uel Adamo sine prole defuncto, nouum hominem creare purum & immaculatũ,

& (ut ita dicam) impeccabilē: ex quo proles nascereturperinde impeccabilis. Verùm Deo uisum est, ut & primus homo conseruaretur: & hic ordo in rerum uniuersitate esset, ut corpore hominis procreato, simul animam procrearet, ac corpori infunderet. Ita uoluit Deus consilio suo æterno uiam aperire tum misericordiæ, tum iustitiæ suæ declarandę in Adamo: ex quo tanquam massa unica, uasa procreata sint, alia in honorem, alia in contumeliam. Proposuit etiam Mediatorē IESVM CHRISTVM: ut qui in illum crederent, haberent uitam: qui minus, morte morerentur. Ita animæ coniunctio cū corpore infecto, nihil obest credentibus in Christum: qui cùm sit medicus datus generi mortalium, & animā seruat, & corpus. De alijs quæ afferuntur à Pighio, sic est habendum. Nos natura filios iræ esse, ex effectis colligit Paulus. Cùm enim agamur à principe mūdi huius, qui efficax sit in cordibus infidelium: cumq; in cupiditatibus carnis uersemur, oportet in natura nostra aliquid esse quod nos efficiat iræ filios: siquidem fructus profert morte dignos, quibus non potest non irasci Deus. non enim Deus temerè & sine causa irascitur alicui. Hæret igitur aliquid mali in nobis, quod iram in nos prouocet diuinam. Quod cùm omnium hominum sit, naturæ eorum esse intelligendum est: non quidem initio conditæ, quæ bona erat: sed in Adamo uitiatæ. Simile quod de seruis Pighius affert, huc non quadrat. Sola enim nascēdi conditio facit seruos, qui ex seruis nascuntur. At qui ex homine generatur, ita nascitur ut prauitatem secum afferat ex utero materno. Ad hunc modum obiectio illa tollitur, non debere puniri quenquam ob peccatum alienum. Non enim culpa originis aliena est, sed nostra propria: non quidem uoluntate aut actione nostra commissa, sed propagatione in nos deriuata: quemadmodū in pro-

in prolem multi morbi, imò & qualitates animi nõnunquam à parentibus deriuantur. Quòd autẽ dicit Paulus, nos omnes in uno peccasse, uniusq; inobedientia factos esse peccatores: non accipiendum est, nos non nostro, sed alieno tantum uitio damnari: sed his uerbis indicatur, uitium nostrum ab uno habere originem. Vt si quis infectus peste, alios inficiat, qui tandem moriantur: rectè illi quidem dicerentur peste unius illius, à quo infecti sunt, interijsse: sed nihilominus quisque illorum sua peste, qua infectus est, periret. Quemadmodum autem pestis huiusmodi & illorum est omnium quos inuasit, & illius à quo profecta est: ita peccatum originis & nostrum est proprium, & alienum. alienum quidem, uoluntatis actione: nostrum autem, propaginis transfusione. Quamobrem infantes peccato suo pereunt: non ab ipsis commissio, sed in ipsos transfuso.

CAPVT VII.

Tres quidem peccati causas esse. Et tamen à solo Adamo peccatum in humanum genus traduci: & quidem illud tantùm, quod ab Adamo in paradiso commissum est.

TRes ferè memorantur principes peccati: Diabolus, Eua, Adam. de quibus in sanctis Scripturis sic habetur: Diabolus ab initio peccauit, eius q; inuidia mors ingressa est in mundum: A' fœmina initium peccati, per eamq; moriuntur omnes: Per unum hominem peccatum ingressum est in mundum. quem quidem hominem Adamum esse intelligunt. Rectè hæc omnia dicuntur, nec sunt inter se contraria. Primus creaturarũ omnium diabolus peccauit, & alios ad peccandum induxit. Ex hominibus autem Eua prima peccauit, &

1. Ioh. 3. Sap. 2. Eccl. 25. Rom. 5.

Adamo

Adamo ut peccaret persuasit. Verùm in præsentia non de eo agitur qui primus peccauerit, alijsq; autor peccandi fuerit: sed de principio, ex quo peccatum in genus humanum propagatum sit. Paulus itaq;, qui propagationem & successionem ad uiros sciret referri, non ad mulieres, radicem ipsam peccati in uiro ostendit his uerbis: Per unum hominem peccatum in mundum ingressum est, & per peccatum mors. Ac de morte quidem loquendo, unum illum hominem nominatim expressit, sic dicendo: Regnauit mors ab Adam ad Mosen. & 1. Cor. 15. Sicut per Adam omnes moriuntur. Adam est igitur, per quem peccatum in omnes homines traductum est. An uerò ab alijs quoque uiris peccata migrent in prolem suam, uidendum est. Etsi autem quæ de corporis & animæ mutua communicatione dixi, uidentur accommodari posse ad proximorum parentum peccata: tamẽ ne hæc contagione ad prolem deriuari putentur, illud in causa est, quòd nemo præter Adamum originalem iustitiam acceperit. Solus enim Adam iuxta Deum conditus est, cum iustitia & sanctitate ueritatis. Alij omnes in lucem hanc tales editi sunt, qualis Adam erat, iustitia & sanctitate illa primæua per peccatũ spoliatus. A' nemine igitur patrum in prolem profluere potuit nec iustitia, nec obligatio iustitiæ & sanctitatis, quàm à solo Adamo: qui hanc ipsam iustitiam acceperit, & pro se, & pro omnibus qui ad similitudinẽ eandem Dei condendi erant. His autem consequens est, nullum peccatum deriuari posse in posteritatem, quàm illud quo iustitia primæua exclusa est & ab Adamo, & ab omni genere humano. Par enim ratio est uirtutis, & uitij oppositi. Si uirtus peruasura erat in progeniem, & uitium peruadendi uim eandem habet. Et à quibus tam uirtus quàm uirtutis habendæ aliorum obligatio exclusa est, ab ijs pec-

catum quoq; hoc deriuabile excludi debere uidetur. Atque id est quòd suprà dixi, tantùm illud peccatum cum propagatione naturæ ad posteritatem transmitti, quod in paradiso ab Adamo commissum est: & quo solo Adam ex statu innocentiæ cecidit in hanc mortalitatem. Etsi autem comminetur Deus, se parentum uitia persequuturum à filijs tertiæ & quartæ stirpis: tamen non inde concludi potest, peccata proximorum parentum in prolem propagari. Extendit enim Deus hanc pœnam in eos tantùm filios, qui patrum iniquitatem exprimant sua ipsorum iniquitate. Cæterùm impietatem patris pio filio minimè nocituram, ipsemet Deus edixit. Est autem discrimen inter propagationem quę transfusione naturæ fit, & eam quæ imitationem actionum similium requirit. Illa naturam solam sequitur, hæc actiones similes parentum actionibus. Ab illa nullus excipitur filius Adę, qui communi lege ab Adamo descendit. Ab hac excipiuntur filij qui patrum mores nõ persequuntur. Ideò Deus, etsi dicit se uindicaturum parentum impietatem in filijs impijs: tamen etiam dicit de filijs pijs & iustis, non eos luituros pœnam paternæ impietatis, ut refert Ezechiel cap. 18. Verumtamen ista transmissio peccatorum à proximis parentibus ad filios, non est adhuc satis (quòd sciã) explicata à uiris doctis: & Augustinus de ea ambiguè loquitur. Illud igitur satis fuerit tenere, quod ex diuinis Scripturis ostendimus, insidere nobis à prima origine facultatum omnium deprauationem: ex qua in nobis experimur intelligentiæ cæcitatem, consilij hebetudinem, uoluntatis ad pessima procliuitatem, ad optima tarditatem: deinde magnam quandam & deplorandam seruitutem peccati, sub quo uenditi sumus, & à quo nisi filius nos liberauerit, liberi esse non possumus.

CAP.

CAPVT VIII.

De remedio & liberatione à peccato originis.

DE qua quidem liberatione, explicatis ijs quæ ad huius mali naturam pertineant, dicendum est. Paulus, qui peccatum ex Adæ inobedientia ad nos dimanasse dixit, idem remedium huic malo in Christi obedientia quærendum esse ostendit. Quemadmodum, inquit, per unius delictum in omnes homines cõdemnatio, sic per unius iusticiam in omnes homines iustificatio uitæ. Vt enim unius hominis inobedientia peccatores constituti sunt multi: sic unius obedientia iusti constituentur multi. Paulò antea ostendit, remedium hoc multo potentius esse morbo, his uerbis: Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum Dei in gratia, quæ fuit unius hominis Christi, in multis abundauit. Et post paucos uersus: Si unius delicto mors regnauit per unum, multo magis qui exuberantiam gratiæ & doni iusticiæ acceperunt in uita, regnabunt per unum Iesum Christum. Hanc Christi gratiam illis communicari qui Christo fidem habeant, docet Paulus cùm scribit, Christum à Deo propositũ esse reconciliatorem per fidem in eius sanguine collocandam, ad demonstrationem iusticiæ fidei. Docet item, hoc beneficium nobis contingere per lauacrum regenerationis, ac renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos Deus opulenter, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ.

CAPVT IX.

Concupiscentia in baptizatis reliqua, sit'ne peccatum.

HIc autem quæri solet, num in ijs qui baptismo tincti sunt, supersit aliquid culpæ? Equidem nihil supereſſe, baptismi ingenio id confirmant, quod eius-

modi est, ut qui in Christo baptizati sunt, Christum induerint. at qui Christum induit, peccatum non habet. Iam si in baptismo peccata omnia remittuntur, certè nihil eorum manebit. Ex altera parte proferunt rationem, ij qui concupiscentiam in renatis & esse, & peccatum esse affirmant: utpote quæ legi mentis eorum repugnet, & captiuos eos reddat legi peccati in membris eorum inhærenti. Hæc sic dijudicari posse uidentur. Concupiscentiam quidem manere in regeneratis, & eam repugnare legi mentis: uerumtamen eam peccatum non esse, propterea quòd reatus per baptismum sublatus est, qui est tanquam forma peccati: sine qua id quod est tanquam materia, plenam rationem peccati habere nequit. Nisi fortè reatum peccati intelligimus, obligationem ad mortem corporis, & alias ærumnas quibus etiam sanctos homines subiectos esse uidemus. Verùm hoc modo in renatis peccatum ueniale supereſſe diceretur: non illud capitale, quod Deus punit æterna morte.

CAPUT X.

Confirmatio omnium quæ hactenus dicta sunt de uitio originis, authoritate Augustini.

SVpereſt, ut quæ hactenus exposuimus de peccato originis, ea authoritate Augustini confirmemus. Is de fide ad Petrum Diaconum cap. 26. sic scripsit: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum uiri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subiectum, & ob hoc naturâ filium iræ nasci. de qua dicit Apostolus: Eramus enim & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri. A' qua ira nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum, hominis IESV CHRISTI: qui sine peccato cõceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus,

tuus, peccatum pro nobis factus est: id est, sacrificium factus est pro peccatis nostris. In ueteri quippe Testamento peccata dicebantur, sacrificia quæ pro peccatis afferebantur: in quibus omnibus fuit significatio Christi, quia ipse est agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et infrà: Quòd etsi peccatum propriæ actionis nullum habent: originalis tamen peccati damnationem, carnali conceptione ex natiuitate traxerunt. Idem de prædest. & grat. c. 3. Vitiatæ radicis macula ita propaginis traduce per generationum sarmenta diffusa est, ut nec infans quidem unius diei à culpa sit primæ præuaricationis alienus, nisi per indebitam Saluatoris gratiam fuerit liberatus. Quòd si nec hic sine peccato est qui proprium habere non potuit, conficitur, ut illud traxerit alienum, de quo dicit Apostolus: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum. Idem de nup. & concup. Concupiscentia carnis, licet in regeneratis iam non deputetur in peccatum: quæ cunq; tamen proles nascitur, obligata est originali peccato. Item: Dimittitur cõcupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur in peccatum. Hoc est enim, non habere peccatum, non esse reum peccati. Quomodo ergo alia peccata prætereunt actu, & remanent reatu, ut homicidium & similia: ita econuerso fieri potest, ut concupiscentia prætereat reatu, & remaneat actu. Idem contra Iulianum Pelag. lib. 2. Lex ista peccati quæ est in membris corporis mortis huius, & remissa est regeneratione spirituali, & manet in carne mortali. Remissa scilicet, quia reatus solutus est sacramento quo renascuntur fideles: manet autem, quia operatur desideria, contra quę dimicant etiam fideles. Et quod hîc Augustinus uocat legem peccati in membris inhærentem, paulò pòst uocat concupiscentiam. Concupiscentia, inquit, remittitur in reatu, & re-

manet actu. Neque enim nihil in homine agitur, quando concupiſcentiarum ſuarum, etiam quibus non conſentit, ſtimulis inquietatur. Eſt igitur ſententia Auguſtini: Peccatum originis actu remanere in regeneratis, reatu remiſſum eſſe. Quid eſt igitur (roget quis) cur concupiſcentia in regeneratis uocetur peccatum? Reſpondet Auguſtinus de nup. & concup. lib. 1. cap. 25. Sic autem, inquit, uocatur peccatum, quia peccato facta eſt: cùm iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum. Sicut uocatur lingua, loquutio quam facit lingua: & manus uocatur, ſcriptura quam facit manus. Itemq; ſic uocatur peccatum: quia peccatum, ſi uincit, facit. Sicut uocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, ſed quòd pigros faciat. Idem dicit ad Bonifac. contra duas epiſt. Pelag. lib. 1. cap. 13. Cum concupiſcentia, inquit, carnis neceſſe eſt ut etiam baptiſatus (& hoc, ſi diligentiſsimè proficit, & ſpiritu Dei agitur) pia mente confligat. Sed hæc etiamſi uocatur peccatum, non utiq; quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, &c.

CAPUT XI.

Fuſior explicatio de concupiſcentia in renatis reliqua, ſit'ne peccatum, an'non.

HAec Auguſtini ſunt uerba, quibus ſententiam de peccato originis complexus eſt totam. Et haud ſcio an quid à nobis ſuprà poſitum ſit, quod in his Auguſtini uerbis non ſit diſertè expreſſum. Quæ cùm plana ſint, non opus habent explicatione noſtra. Illud antùm, quod poſtremum attulimus, annotandum eſt: negare Auguſtinum, concupiſcentiam à baptiſmo peccatum eſſe, quòd ſic propriè uocetur: nempe rebellio & inobedientia aduerſus legem Dei. Quòd ſi quando peccati appellatione ſignatur, id fieri per tropum quem uocant

cant Metalepsim: aliàs quidem à causa, quòd peccatum sit causa illius: quomodo & sermo linguæ, & scriptura manus nominibus usitatè appellantur: aliàs autem ab effectu, quòd sit efficiens peccati: quemadmodum frigus pigrum dicitur, & ocium segne. Igitur duplex est causa huiusmodi appellationis: altera, quòd peccato inuecta sit: altera, quòd peccatum pariat. ut dicit Iacobus: Iacob. 1. Concupiscentia cùm concipit, parit peccatum. Hæc sententia est Augustini, de concupiscentia in renatis post baptismum. Quam sententiam omnes ferè Theologi sequuntur: qui concupiscentiam in baptisatis manere dicunt, ut pœnam peccati præcedentis, & ut materiam exercendę uirtutis. Quam & nos sententiam multis authoritatibus fultam, amplexi sumus. Verumtamen dissimulare non sustineo, esse aliquid quod me in cõtrariam trahat sententiam: nempe pronitas ista contra legem Dei, quę talis & tanta est, ut uirtutẽ nullo modo induere possit. Eo enim impetu fertur, ut hominem tanquam captiuum ducat, & sub potestatem redigat legi peccati in membris inhærenti. Qua captiuitate Paulus oppressus, exclamare cogitur: Miser ego homo, quis me liberabit ab huius mortis corpore? Non deerant quidem rationes, quibus Pauli uerba ista ad naturam lapsam, & nondum reconciliatam transferrem: non de se Paulum ibi loqui, sed sub sua persona de quouis homine seruiente peccato. Neq; enim Paulum, cùm illa loqueretur, per legem mortuum fuisse: neq; illi mandatum fuisse mortiferum, qui legis fuerit obseruantissimus: neq; carnalem fuisse, neq; uenundatum sub peccato, neq; eum fecisse malum quod nollet: neq; fuisse infelicem, ut optaret liberari à corpore mortis, per quod cogeretur facere qd nollet. Hanc sententiam cùm multos amplecti uiderem, quorum & numerus est magnus, & authoritates graues,

graues, tum Augustinum ipsum 83.q.66. Verùm è contraria parte ab eodem Augustino scriptum uidi ad Bonifacium contra duas epistol. Pelag. lib. 1. cap. 10. his uerbis: Visum aliquando mihi fuerat, hominem sub lege isto Apostoli sermone (Miser ego homo, quis me, &c.) describi: sed uim postea mihi fecerunt ista uerba, quòd ait: Nunc autem, iam nō ego operor illud. Ad hoc enim pertinet illud quod ait postea: Nulla ergo condemnatio est nunc ijs qui sunt in Christo Iesu. Et quia non uideo quomodo diceret homo sub lege, Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: cùm ipsa delectatio boni, qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore iusticiæ, (hoc est enim, non delectari) non nisi gratiæ deputanda sit. Deinde cap. 11. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Quis negat Apostolum, cùm hæc diceret, adhuc fuisse in corpore mortis huius? At ab eo impij non liberantur, quibus eadem corpora ad tormenta æterna redduntur. Ergo hoc intelligimus de Paulo. Est autem liberari à corpore mortis huius, omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam corporis recipere, sed ad gloriam. Cùm quidem huic loco illud consonat: Etiam nos qui primitias habemus spiritus, ingemiscimus adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri. Nimirum enim gemitu isto ingemiscimus, in quo dicimus: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Deinde, Quod operor, ignoro. Quomodo ignorat, qui dixit, per legem cognouisse se peccatum? Ergo ignoro, id est, nolo, non approbo, non consentio, non facio, nulla consensione committo: sicut dicit Dominus, Non noui uos. His diligenter consideratis, rectè intelligetur Apostolus, nō quidem se solum in sua, uerum etiam alios sub gratia constitutos significasse: sed secum nondum in illa con-

la constitutos pace perfecta, in qua absorbebitur mors in uictoriam. Hæc ille. Repetit autem hanc sententiam aliquoties Augustinus, tum in eo libro ad Bonif. tum cõtra Iulianum Pelagianum lib. 2. Quòd si aliquando in diuersa fuisset, tamen eam retractasse uidetur illis uerbis, Visum aliquando mihi fuerat, &c. Itaque hæc quam secundo loco adduximus, posterior esse uidetur: quam ille confirmat authoritate Ambrosij, cuius uerba citat ex lib. de Sacramento regenerationis, & ex alio libro de Paradiso. Non igitur uereamur & nos nostram assensionem adiungere ad sententias summorum hominum, de Christiana doctrina optimè meritorum. Verumenimuerò hac ipsa sententia recepta, haud uideo quomodo concupiscentia in renatis peccato eximi possit: peccato inquam, quod sit contra legem Dei. Hoc enim suprà indicauimus, argumento à pronitate mentis contra legem Dei adducto. Collocemus enim hoc argumentum, in hanc syllogismi formam:

Quod repugnat legi mentis, est uitium legis diuinæ.
Concupiscentia in renatis repugnat legi mentis.

Est igitur uitium contra legem Dei. Argumentum ducitur à ratione propria peccati. Est enim hęc quasi forma peccati efficiens, repugnare legi, menti diuinitùs impressæ. Syllogismus est Tertij modi primæ figuræ. Propositio est plana, expendenti uitij rationem. Quid enim uitium est, quàm corruptio? & ut opponitur uirtuti, quid est, quàm corruptio uirtutis, atq; adeò quod repugnet uirtuti? Igitur uitium legis Dei est, quod repugnat legi Dei: cum qua uel eadem est lex mentis, uel hęc est conformatio illius. nam & paulò pòst Paulus dicit, se mente seruire legi Dei. Assumptionem Paulus ipse sic ponit: Video legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Quod etsi Eckius ita interpretatur, ut

hæc repugnantia ſit tantùm per inclinationem: tamen Pauli uerbis plus indicatur. Addit enim, legem illam menti repugnantem eſſe, quæ captiuum illum reddat legi uitioſitatis in membris inhærenti. His ſi addas quę de ſententia Auguſtini diximus, hæc Paulum etiam de ſe renato loqui, quid aliud reſtat, quàm ut concludamus concupiſcentiam in renatis nõ tantùm pœnam eſſe peccati, & non tantùm inclinare ad peccandum, ſed etiam eſſe ipſum peccatum? præterquam enim quòd inclinatio ad malũ uitioſitatis ſit, & mali fructus non niſi à mala arbore gigni poſsint: prorſus demonſtrat Paulus, hoc malũ minimè ocioſum eſſe, cũ dicit: Carnalis ſum, uenditus ſub peccato. Quod operor, nõ intelligo. Quod non uolo, ago. Quod odi, facio. Nunc nõ iam ego operor illud ſed peccatum in me inhabitans. Si hæc operatur peccatum in renatis habitans, ergo eſt peccatum non tantùm ex ea parte, quatenus uel à peccato ingeneratum, uel ad peccatum pronum ſit, ſed etiam quatenus & eſt, & operatur contra legem Dei. Quod quoniam ex Pauli ſententia oſtendimus, addamus etiam teſtimonium Auguſtini, qui contra Iulian. lib. 5. cap. 3. ſic ſcripſit: Sicut cæcitas cordis quam ſolus remouet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur: & cauſa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore cõmittitur: Ita concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus cõcupiſcit ſpiritus, & peccatũ eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatũ mentis: & pœna peccati eſt, ga reddita eſt meritis inobedientis: & cauſa peccati eſt defectione conſentientis, uel cõtagione naſcentis. Proinde omnia quæ pro hac tua cæca & inconſiderata opinione dixiſti, qua carnis concupiſcentiam (eo ipſo quòd eam pœnam diximus eſſe peccati) non ſolùm non uituperan

tuperandam, ſed etiam laudandam putaſti, quamlibet prolixa diſputatione in eo fueris immoratus, euanuiſſe certiſsimum eſt. Hæc Auguſtinus. Vbi ultra id quod alibi dixit, concupiſcentiam & pœnam eſſe peccati, & cauſam: addidit quoque, eam peccatum eſſe. Videtur autem reſpondere ad argumentum Iuliani, quod ex ipſa reſponſione colligi poteſt tale fuiſſe: Quod eſt pœna peccati, non tantùm non uituperandum, ſed laudandum eſt. Concupiſcentia, ſecundum te Auguſtine, eſt pœna peccati: Ergo eſt laudanda, & non uituperanda. Hoc argumento refellendo Auguſtinus aſsumptionem inficiatur: concupiſcentiam non tantùm eſſe pœnam peccati, ſed eſſe etiam ipſum peccatum. Loqui autem Auguſtinum de concupiſcentia in renatis, uerba illa indicant: Concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus. Certè bonus ſpiritus nec eſt in hominibus non renatis, nec pugnat aduerſus concupiſcentiam eorum. Et quidem concupiſcentiam eſſe peccatum, inde confirmat, quòd ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis. Hoc quid aliud ſignificat, quàm rebellionem contra legem Dei? Quid enim eſt dominatus mentis, quàm imperium quod mens lege Dei informata, tenere debeat in carnem? Quid eſt igitur, dicat quis, cur in locis ſuprà capite proximo in fine citatis, negat cõcupiſcentiam peccatum eſſe? an contradicit ſibi ipſi? an eſſe peccatum, & nõ eſſe peccatum, de eodem rectè dici poſſunt? Fortaſſe nõ ineptè diceretur, Auguſtinum reſpicere ad reatum peccati, cùm negat concupiſcentiam peccatum eſſe. Sublatus eſt enim reatus & obligatio ad mortẽ æternam, per baptiſmum. Cæterùm cùm dicit eandem peccatum eſſe, conſiderat in ſe cõcupiſcentiam: quæ natura ſua talis eſt, ut pugnet cum lege Dei, & ideo morte digna eſt. Quidam uerò à

baptismo non imputetur, non ex se habet, sed ex Christi misericordia. Iam illud constat, rem omnem ex se magis censendam esse, quàm ex eo quod illi extrinsecus uenit. Sunt & illa Augustini uerba notanda, cùm de peccato originis cum Iuliano Pelagiano disputando, sic inquit: Neq; enim nulla est iniquitas, cùm in uno homine uel superiora inferioribus turpiter seruiunt, uel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi uincere non sinantur. Sic ille. Quamobrem non tantùm Scripturis, sed experientia docti, fatemur esse originalem & hæreditariam in nobis uitiositatem, quæ haud dubiè ex natiua corruptela procedit, efficitq; in hominibus magnam procliuitatem ad peccandum. In regeneratis uerò pugnam incredibilem, inter uires superiores & inferiores: dum hæ illis, ut dicit Augustinus, reluctantur: illæ uerò istis seruiunt. Vtræq; uerò contra legem Dei tanto feruntur impetu, ut iure queratur Paulus, se captiuum esse peccati, & se uenundatum esse sub peccatum. A' qua captiuitate utinam liberet nos, qui solus potest, unigena Dei filius Dominus noster IESVS CHRISTVS, Amen.

Lib. 6. c. 5.

DE PECCATO ORIGINIS
Finis.

ANDREAE FRICII MODREVII, LIBER DE HOMINIS LIBERO ARBITRIO.

EXPOSITIS ijs quæ ad naturam peccati originis ex sanctis literis, ac enarratore earum sanctiss. Augustino pertinere uisa sunt: sequitur ut de libero arbitrio agamus, quæ pars est altera institutæ tractationis nostræ. Magnam autem affinitatem hæc quæstio habet cũ superiore de peccato originis. Quo enim maius uel minus inflictum est uulnus naturæ humanæ noxa primi parentis, hoc plus uel minus libertatis relictum est arbitrio nostro. Nos uerò de hac arbitrij nostri libertate ita instituemus orationem, ut An sit, & Quid sit illud, primùm exponamus: pòst, circa quas res uersetur: deinde, quàm latè pateat eius facultas: pòst, quæ nostræ sententiæ contraria erunt, confutabimus. Et si quid præterea ad institutũ nostrum pertinere uidebitur, id suo quodq; loco pro facultate ingenij nostri explicabimus.

CAPVT I.

De libero arb. hominis, sit ne? quid sit? quod eius obiectum? quàm ampla & ualida potestas?

ESse homini liberum arbitrium, certissima documenta nos docent: qui sentiamus nos & amplecti & respuere res nobis oblatas, & de multis deliberationem instituere, & cum sensibus in certamen descendere, & sæpe uictores euadere. Minæ etiam & præmia quæ à legibus tum diuinis, tum magistratuum, nobis proponuntur, argumento sunt, esse in nobis lib. arbitrium. Idem testatur tota Philosophorum schola, qui de libero arbi-

trio multa præclarè prodiderunt. QVOD quidem (ut & Philosophis, & multis Theologis placet) est uoluntas, qua amplectimur, uel respuimus, pro arbitrio, quod ratio decreuit & arbitrata est. Itaq; liberum arbitrium facultas est rationis & uoluntatis, aut certè est ipsa ratio & uoluntas. Neq; enim uoluntas potest uelle, quod rationi incognitum est: nec libertate eligendi uti, nisi in ijs quæ ratio prius perspexit. OBIECTVM circa quod uersatur liberum arbitrium, non est id quod necessariò uel amplectamur, uel refugiamus: sed, cuius liberam electionem habere possimus, ut quæ pertinent ad uitam commodè transigendam, & ad cultum Dei, quæq; his sunt contraria. QVAM uerò rectè liberum arbitrium officio fungatur, de eo simplex responsio dari non potest: sed & pro rerum circa quas uersetur diuersitate, & pro conditione hominis uaria, & prout uel solum consideratur, uel cũ ope diuina aliud & aliud, dicendum est.

CAPVT II.

De libero arbitrio in prima hominis conditione.

AC de prima hominis origine quid sentiendum sit, fabricatio eius ostendit. Nam effinxit eum Deus, ut imaginem & similitudinem referret ipsius in terris. Hæc uerò imago & similitudo maximè in ratione ac uoluntate est cernenda. Nam aliæ facultates cõmunes homini sunt cum alijs animantibus. Ratione & uoluntate solus inter animantes homo præditus est: hisq; duobus ad Deum conditorem suum proximè accedit, quem solus intelligit & miratur, ad cuius suspectum corporis statu erecto prouocatur. Si igitur arbitrij libertas in ratione ac uoluntate sita est, hominem in conditione sui cum ratione & uoluntate libertatem simul à conditore suo accepisse putandum est. Quod quidem mihi splendidè

dicè Iosua Sirach uidetur expressisse his uerbis: Deus principiò cùm creasset hominem, eum arbitrio sui consilij permisit, Adiecit mandata & præcepta sua: Si præcepta exequi uolueris, & fideliter ac libenter agere, ipsa te conseruabunt. Propositus est tibi ignis & aqua: ad utrum uoles, manum tuam porriges. Homini proposita est uita & mors, bonum & malum: utrum ei placuerit, id ei dabitur. De hoc Augustinus, de fide ad Petrum, sic scribit: Firmissimè tene, & nullatenus dubita, primos homines, id est Adam & mulierem eius, bonos & rectos, & sine peccato creatos esse, cum libero arbitrio: quo possent, si uellent, propria, humili & bona uoluntate seruire atq; obedire. Quo arbitrio etiam possent, si uellent, propria uoluntate peccare. Eosq; non necessitate, sed propria uoluntate peccasse. Idem contra Pelagium Hypognosticon 3. Rectè dicimus, neminem posse per se sibi, id est per liberum arbitrium, sufficere implere quod uelit: nisi protoplastum solum potuisse, cum uoluntas liberi arbitrij adhuc sana esset ante culpam. Ibidem: Vel arbitrium ideo dictum est, quòd in sua positum sit potestate, habens agendi quod uelit possibilitatem, quod est uitalis & rationalis animæ motus. Sed huiusmodi fuit in homine protoplasto, cùm ante peccatum maneret illæsus. Eccl. 15. cap. 25.

CAPUT III.

De libero arbitrio post lapsum hominis, quantum ualeat in rebus ratione humana perceptibilibus.

QVæ diximus, ad hominis naturam integram, qua conditus erat, pertinent. Verùm aliud est dicendum de natura peccato corrupta, cùm homo de arbore illa uetita gustauit. De quo Salomon, cùm multas res animo

nimo lustrasset, earumq; certam cognitionem comprehendere nequiuisset, sic se comperisse, inquit: Ecce inueni à Deo homines factos esse rectos, sed ipsos infinitis se miscuisse quæstionibus. Significat homines quidem probos à Deo factos esse, sed ipsos à probitate & rectitudine illa desciuisse: seq; ipsos his calamitatibus inuoluisse, quibus premuntur, dum serpentis oratio fidem eis faceret scientiæ boni & mali, ex gustu pomi uetiti proueniturae. Itaq; homo defectione à Creatore suo, innocentiam perdidit. Ex paradiso, quod erat habitaculum sanctitatis & innocentiæ, eiectus est, & in terram brutis animantibus destinatam collocatus. Cùm enim in honore positus, intelligens non esset bonorum suorum: similis factus bestijs intereuntibus, in domicilium earum relegatus est. In qua relegatione quantum ualeat liberum arbitrium, consideremus.

Eccl. 7.

Psal. 49.

Multis uiris doctissimis uidetur, in rebus uitæ huius ualere & in bonum, & in malum. Quod nos Augustini sententia proferenda ostendamus, qui contra Pelagium lib. 3. Hypognosticon scribit his uerbis: Per peccatum liberum hominis arbitrium possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem. Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem rationis iudicium: non per quod sit idoneum quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certè peragere: sed tantùm in operibus uitæ præsentis, tam bonis, quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur: id est, uelle laborare in agro, uelle manducare & bibere, uelle habere amicum, fabricare domum, uxorem ducere, pecora nutrire, uelle quicquid bonum pertinet ad præsentem uitam. Quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt: imò ex ipso, & per ipsum sunt, uel esse cœperunt. Malis uerò dico, ut est uelle idolum colere, uelle homi-

homicidium, adulterium facere, uelle alienas res diripere, Deum uiuentem in ſecula blaſphemare, uelle turpiter uiuere, uelle quicquid non licet, uel non expedit operari. Sed iſta non pertingunt ad ſubſtantiam uitæ præſentis, quia non ſunt à Deo: imò malè deſiderata maculant uitam, quæ eſt ex Deo. In libro autem de Spiritu & litera, cap. 28. oſtendit in gentibus imaginem Dei non omnino deletam eſſe: eoſq; in ipſa uitę impietate aliqua legis diuinæ uel ſapere, uel facere: quæ tamen prodeſſe eis non poſſint ad uitam æternam, ſed fortè ut minus puniantur. Sicut enim (inquit ibidem) non impediunt iuſtum à uita æterna quædam peccata uenialia, ſine quibus hæc uita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam non proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè etiam uita cuiuslibet peſsimi hominis inuenitur. Diſertè dicit Auguſtinus, in impijs inueniri quædam bona opera. Chriſtus etiam Ethnicis tribuit uirtutem diligendi benefactores. Si (inquit) diligitis eos qui uos diligũt, quæ gratia uobis? non ne & Ethnici hoc faciunt?

Teſtatur autem ipſa experientia, rationem ſæpe pugnare cum peruerſis affectibus, quemadmodum loquitur Phædria Terentianus:

Et tædet, & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Viuus uidensque pereo.——
Eyciunda hercle hæc mollities animi: nimis me indulgeo.

Nam etſi adoleſcens iſte paret malo: tamen ignículus ille rationis apparet in medio æſtu acrium perturbationum. Quid quod in ſchola Peripateticorum docetur, affectus ipſos à natura datos eſſe, ut ſtimuli ſint ad uirtutem? ut metum, cauendi: iram, fortitudinis ac iuſticiæ: inuidiam, æmulationis rectè factorum: miſericordiam, clementiæ cauſa. Quòd ſi in ratione ac uolũtate ſunt ſemina, & in affectibus ſunt incitamenta ad uirtu-

tem, an quòd ex his existit liberum arbitrium, nullas habebit partes in uirtute ipsa? Etsi autem eiusmodi uoluntatis multa sint impedimenta, & quasi prædones multi qui eam circunstent: tamen non propterea tollenda est, quam ratione dirigi, & superiorem titillatione sensuum sæpe euadere uideamus. Multorum enim exempla in promptu sunt, qui nec Iudæi, nec Christiani, sed solùm legem naturæ sequuti, munere uirtutis præclarè functi sunt: ut Socrates, Aristides, Photion, & plerique alij: qui cùm uitia hominum insectarentur, cùm leges ferrent, pœnas ac præmia constituerent, cùm homines ad honestatem hortarentur: à turpitudine uerò dehortarentur, cumq; ipsi uoluptates illicitas coercerent, cùm iusticiam ac cæteras uirtutes studiosè colerent: an non uoluntatem habuerunt ratione temperatam, cupiditatum uictricem, & peccandi illecebrarum? Neque enim decet, neq; rerum natura fert, ut horum facta eodem in numero ponantur cum factis Catilinæ & Cethegi, aut Fabricij cõtinentia cum Verris rapacitate, Catonis item tolerantia cum Neronis crudelitate.

Neq; uerò tantùm de externis factis, quę ab hominibus uideantur, loquimur: sed quæ ab oculis hominum remota sint, atq; adeò de interna animi affectione, quæ sit coniuncta cum proposito approbandi ea quæ agas cùm hominibus alijs, tum nobis ipsis, tum uerò Deo ipsi. Quorsum enim illa præcepta pertinent Senecæ Cordubensis, hominis in philosophia morali probati, & nobilis? quæ ille tradit uaria quidem, & præclara: sed inter cætera de imaginaria uiri boni præsentia, de conscientia nostra, de Deo ipso, qui semper adsit nobis? Epistola 25. ex sententia Epicuri sic alloquitur Lucilium: Sic fac (inquit Epicurus) omnia, tanquam te spectet aliquis. Prodest sine dubio, custodem sibi imposuisse, & habere quem

quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices: & quæ sequuntur. Epistola autem 11. sic: Aliquis bonus uir nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam spectante illo uiuamus, & omnia tanquã uidentẽ illo faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcipit: custodem nobis & pædagogum dedit, nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatori testis assistit: si aliquem habeat animus, quem uereatur, cuius authoritate etiam secretum suum sanctius faciat. Et epistola 43. Quid prodest recondere se, & oculos hominum auresq; uitare? Bona conscientia turbam aduocat: mala etiam in solitudine anxia atq; solicita est. Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cùm tu scias? ô te miserum, si contemnis hunc testem. Et epistola 41. Non sunt ad cœlum eleuandæ manus, nec exorandus ædituus, ut nos ad aurem simulachri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Propè est ad te Deus: tecum est, intus est. Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, bonorum malorumq; nostrorum obseruator & custos. Hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus uerò uir sine Deo nemo est. Hæc & plura in eam sententiam, apud Senecam.

Eôdem pertinet illud Marci Ciceronis, grauissimi & philosophi & senatoris: Docemur, inquit, non infinitis concertationumq; plenis disputationibus, sed authoritate nutuq; legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentem, oculos, manus abstinere. *Cic. de Or. lib. 1.*

Et illud eiusdem Ciceronis: A' recta conscientia transuersum unguem non oportet quenq; in omni uita sua discedere. *Cic. ad Atticum lib. 13. epist. 17.*

Et illud: Nobis persuasum esse debet, si homines deosq; celare possimus: nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incon- *Cic. off. 1.*

tinenter esse faciendum. Honesta bonis, non occulta queruntur. Confirmat sententiam nostram, tum Philosophorum, tum Poetarum præceptum, cùm hominem ita fictum dicunt, ut non tantùm erecto corpore contempletur cœlum: sed cœlorum & omnium rerum parentem erecta mente cernat, eiq; actiones suas omnes probare studeat. Id enim didicerunt & ab Aristotele ipso, qui Deum esse primã causam finemq; uniuersi demonstrauit: & à Stoicis, qui res omnes hominis causa, hominem Dei causa conditum esse docuerunt.

At dicet aliquis, hæc magis Philosophos docuisse, quàm præstitisse: & uidentes meliora, sequutos esse deteriora. Ego uerò id negare non possum: nam & Paulus ait, eos quidem Deum cognouisse, sed non ei dignam gloriam gratiamq; tribuisse. Et scriptores rerum memi nerunt multæ uanitatis, & multorum scelerum ab illis patratorum. Addo, etiam erroribus multis fuisse implicatos, dum noxia pro bonis amplecterentur, bona pro noxijs reijcerent: sæpe nec bona prosequerentur, nec mala fugerent, ita ut oporteret. Verumtamen & rationem & uoluntatem multorum honesti amore fuisse imbutam contendo: & officiorum non paucos fuisse obser uantes, uita illorum & res gestæ testantur: nam liberalitatem exercebant, iusticiæ studiosi erant, parentes honorabant: furtis, homicidijs & adulterijs abstinebant: mutuũ reddebant, & cui deberent, & quando, & quamobrem reddendum esset: nempe quia iustum, idq; etiam primæ causæ respectu, quam summum bonum & finem totius uniuersi esse non ignorarent. At non constabant sibi in hac officiorum perpetuitate: sæpeq; in eo quod rectè agerent, claudicantes erant. Quid tum? an non ipsi qui spiritũ Dei habent fatentur se nõ id quod uelint, facere bonum: sed quod nolint malum, id se agere? Iccircõ

co'ne ductum diuini ſpiritus ab eis tollendum putabis? ſpiritus inquam illius, qui ubi eſt, ibi eſt libertas. Pari ratione, num in ijs nulla arbitrij libertas erit, qui fluctibus obruti cupiditatum, ſæpe in uitæ ratione peccent, ac labantur ſubinde in officijs: ſiquidem conſtet eos aliàs, nullo propoſito præmio, ſed gratuitò honeſti fuiſſe colentes? Atenim, iſthæc ſine gratia Dei facere non potuerunt. Equidem ſi de gratia ſanctificante intelligas, non arbitror. Si de illa qua in Deo uiuimus, mouemur & ſumus, prorſus aſſentior. Paulus teſtatur, gratias eſſe multas, quas ſpiritus Dei hominibus impertit, prout uult. Philoſophi etiam agnoſcunt, uirtutes excellentes non fieri ſine ſingularibus motibus diuinis: qui certè gratiæ ſunt, & dona Dei: ſed dona gratuita, nõ illa quæ gratum faciant hominem, & quibus homo quaſi noua creatura efficiatur. Quid eſt igitur, inquies, quod Paulus dicit: Quod nõ ſit ex fide, peccatum eſſe? non'ne omnia infidelium opera peccatis annumerat? Paulum dicti ſui interpretem adhibeamus. ſic enim inquit: Beatus eſt qui non iudicat ſeipſum, in eo quod probat. at qui iudicat, ſi ederit, condemnatus eſt: quoniam non edit ex fide. Porrò quicquid ex fide nõ eſt, peccatum eſt. Non'ne Paulus fidei nomine hîc conſcientiam intelligit, iudicantem de rectè & praue factis: à qua ne latum quidem unguem diſcedendum eſſe, etiam philoſophi docent? Conſcientiam porrò ad legem naturæ, diuinamq; tanquam ad regulam dirigi, neceſſe eſt: ſine qua perſuaſionem cõcipere difficile eſt, opus noſtrum placere Deo. Dubitatione uerò & incertitudine uitiantur actiones omnes. Quamobrem non eſt mens Pauli, peccatum eſſe omne id quod ab infidelibus fiat, (alioqui nec comedere, nec bibere poſſent ſine peccato:) ſed in peccato numerandum eſſe omne id, quod reluctante & dubitante con-

2. Cor. 3.

Rom. 14.

ſcientia fiat. Quod & Cicero docet his uerbis: Quocirca bene præcipiunt, qui uetant quicquam agere, quod dubites æquum ſit an iniquum. Aequitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio autem, cogitationem ſignificat iniuriæ.

At multis tum ſanctæ Scripturæ, tum probatorum authorum ſententijs, damnantur opera, quantumlibet boni ſpeciem habeant, ſi ſine fide & gratia Dei gratum faciente fiant. Fateor: ſed hoc fieri puto, non quòd opera in ſe ſint mala, ſed quia perſona ob fidei in Chriſtum defectum mala eſt. Itaque opera ipſa non tam in Dei gloriam facit, quàm laudis & commodi ſui cauſa.

Auguſtinus contra Iul. Pelag. lib. 4. cap. 3. Auguſtinus de gentili qui nudum ueſtiat, quærit, nunquid eiuſmodi opus, quia non ex fide eſt, peccatum ſit? Et reſpondet his uerbis: Prorſus in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt: non quia per ſe ipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt: ſed quia de tali opere, non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum. Addit ibidem: ad bonum opus, ut uitet rationem omnem peccati, requiri, ut fiat bene. Si enim quamuis bonum malè quis facit, negari non poteſt eum peccare qui malè quod libet facit. Sic ille. Scitum eſt quod *Matth. 7.* Seruator noſter dixit: Bonam arborem bonos, malam malos fructus edere: non poſſe nec bonam malos, nec malam bonos ferre. Si igitur fructus noſtri boni eſſe debeant, bonos nos prius eſſe oportet. Quod fieri nõ poteſt, niſi ſpiritum Chriſti inhabitantem in nobis habeamus, qui fide in Chriſtum perfundat nos, infirmitati noſtræ medeatur: omnia quę agimus, ad Dei gloriam referri doceat, noſq; tandem ad uitam æternam deducat. Hic enim finis eſt bonorum operum, ut in uitæ æternæ poſſeſſionem, per Dei miſericordiam propter Chriſtum nobis promiſſæ, nos perducant. Quemadmodum dicit *Ioan. 5.* Chriſtus, prodituros omnes ſuo tempore ex monumentis:

tis: & qui bona feciſſent, ad uitam reſurrecturos: qui uitioſa egiſſent, ad ſupplicium.

Sunt & illæ conditiones à Paulo deſcriptæ, ad bonum opus neceſſariæ: ut ſit ex corde puro, conſcientia bona, fide non ficta, quæ ſit cum dilectione Dei coniuncta. Sine his opera quantumuis in ſpeciem recta, peccata ſunt apud Deum. Cæterùm opera ipſa per ſe conſiderata, hoc eſt materia & genere ſuo, mala dici nõ poſſunt. Quis enim damnet iuſticiam, liberalitatem, & id genus uirtutes, quas multi à Chriſto alieni exercent: cùm & Rehabæ meretricis, & obſtetricum Aegyptiarum officia in ſacris literis cõmendentur: de quarum mulierum religione in Deum, quid ego pro certo dicam, nihil habeo. Iam duobus contrarijs propoſitis, ſi unum uituperatur, alterum laudetur neceſſe eſt. Igitur ſi Labeonis (exempli cauſa) iniuſticia uituperatione digna, cur Appij cæci iuſticia laudem non mereatur? Atqui nihil eſt dignum laude, niſi bonum. Quid quòd Chriſtus ipſe dignitatem nonnullã tribuit hominibus quibuſdam, nondum ſpiritu Dei imbutis? Sic enim Apoſtolos, quos ad docendas gentes mittebat, alloquitur: In quamcunque urbem aut uicum fueritis ingreſsi, exquirite quis in ea ſit dignus, atq; illic manete donec exeatis, comedentes & bibentes quę uobis ſuppetent. Quam dignitatem iubet exquiri Chriſtus? Non eam quæ eſſet à ſpiritu ſanctificante: nam ea ex hominibus interrogandis diſci non poteſt, quam ſi ex Dei reuelatione Apoſtoli cognouiſſent, non eam ab hominibus inueſtigare iuſsi eſſent. Omninò hæc dignitas ad morum externam honeſtatem referenda uidetur, Chriſtiq; uerba ita accipienda: Non temerè Chriſti doctoribus ſubeunda eſſe hominum ignotorum tecta: ſed primùm in ciuitatibus quærendum, qui illic homines eſſent commendationis famæ: qui iniuria

Iac. 2. Heb. 11. Ioſuæ 7. Exod. 1.

Matth. 10. Luc. 10.

nemi-

neminem afficerent: qui indigentibus de re ſua familiari libenter impertirent: qui de genere mortalium nō gratuitim mereri uellent. Talium mores & officia, tantum abeſt ut uituperet Chriſtus, ut & ipſos hæc facientes dignos appellet: & eorum ædes ſalutari, & apud eos diuerſari, ac cibum potumq; capere ſuos Apoſtolos iubeat. ab alijs uerò ita diſcedere, ut ne quid pulueris quod fortè eorum pedibus adhæſiſſet, ſecum aſportent: quo teſtatum relinquāt, nullam ſibi cū illis cōmunionem eſſe.

Poſſet autem quis non immeritò dubitare, an qui à Chriſto in uerbis citatis digni uocantur, ſint inter pios & regeneratos numerandi? Quòd ſi numerentur, parū appoſitè uerba Chriſti hîc referrentur, ubi agitur de homine nondum renato. Sin minus, uideretur medium quoddam & præparatio eſſe hæc ipſa dignitas ad pietatem & regenerationem. Ad eos enim qui eiuſmodi dignitate præditi eſſent, iubet Chriſtus diuerti nuncios pacis & ſalutis: non ad alios. Intelligendum eſt autem, hanc præparationem electis tantum, quibus cooperentur omnia in bonum, occaſionem eſſe ad ſalutem: reiectis autem & reprobis, ad maius exitium. qui ſcilicet opinione bonitatis ſuæ inflati, progredi recuſarent: &, ut Chriſtus loquitur, ad nuptias uocati, uenire nollēt. Porrò non regeneratorum eſſe hanc ipſam dignitatē, argumento eſt, quòd Chriſtus (ut dixi) iubet de ea quæri ex hominibus: qui tamen de regeneratione cuiuſquam neminem facere poſſint certiorem. Dei enim eſt, noſſe qui ſint ſui: 2. Tim. 2. Quid autem miri, non regeneratis hanc à Chriſto tribui dignitatem: cùm ab eodem ſcriba ille de primis legis diuinæ præceptis & interrogans, & reſpondens ſcienter, dicatur haud longè abeſſe à regno Dei: nimirum quod agnoſceret, in dilectione ſita eſſe omnia. Quam qui non ſpectent, ceremonijſq; ac ritibus

Marc. 12.

tibus externis magis incumbendum putẽt, illos certum est longissimè abesse à regno Dei: cuius nec uiam teneant, nec ueram rationem. Quamuis igitur scriba iste nõdum in Christum credebat: tamen assensum eius erga ueritatem Christus non improbauit. Sed & adolescens ille, qui se præcepta legis à iuuentute sua seruasse dicebat, amatus esse à Christo dicitur. Sic enim Marcus de illo: Iesus autem intuitus eum, dilexit ipsum. Quomodo Christus diligit hunc, qui seu ex simplicitate, seu ex hypocrisi, de obseruatione legis gloriabatur, cùm à uera solidáque perfectione procul abesset? qui uocatus, Christum sequi uoluit, sed mœstus abijt dolens? qui diuitias suas Christo præferendo, crucem eius ferre recusauit? Non igitur Christus amauit hunc adolescentem, tanquam aptum regno Dei. Sic enim solos filios regni amat, quos & iustificat, & donat uita æterna. Amauit autem eũ propter studium legis, quod in eo ab adolescentia erat, ut uel externè iustus fuerit. Hæc amat & probat Christus, nõ ut uitę æternæ meritoria: sed quia spectant ad finem illi probatum, nempe ad conseruandam societatem humanam. Vt enim Respub. amat, ita & eas uirtutes quibus conseruantur: & gubernatores rerum humanarum tuetur, ornat, & multis præmijs afficit. Et hæc de dignitate uel indignitate operum à non regeneratis factorum.

In uerbis Augustini suprà ex libro Hypognosticon 3. citatis (cùm dicit liberum arbitrium in operibus uitæ præsentis bonis ualere) illa uidetur esse dubitatio, quòd exempla afferat de operibus quæ Græci adiaphora, Latini indifferentia uocant: ut causa non sit, cur hæc transferantur ad opus uirtutis. Verùm uerba ipsa indicant, Augustinum loqui generatim de bonis & malis operibus præsentis uitæ. At inter bona opera ad hanc uitam

pertinentia, numerantur bona uirtutis, sine quibus uita humana commodè degi non possit. Exempla quæ affert, si nudè ponantur, indifferentia esse uideri possint. Si ad causas uirtutis efficientes referantur, ad uirtutem pertinebunt: ut si domum quis ædificet, ubi, quando, quemadmodum, quamobrem oportet, officium haud dubiè præstabit liberalitate aut iustitia dignum. Summa illuc pertinet: multa ab hominibus à Christo remotis, & regenerationis huius, qua aliquis fit in Christo noua creatura, expertibus, facta esse recta ratione & animo uolente, humanitatis studij & officij pleno. Tametsi hęc uoluntas nec ita firma est, ut non sæpe impediatur: nec ita sincera, ut non multis inquinamentis uitietur. Intus enim hærens immundicies, nihil sinit tam esse purum, ut sit dignum regno Dei, præsertim cùm persona Deo sit minimè reconciliata.

CAPVT IIII.

Quantum ualeat liberum arbitrium in rebus ad salutem æternam perceptibilibus.

HVcusq; de rebus ratione humana comprehensibilibus, & uiribus homini natura tributis dictum esto. Dicamus deinceps de rebus diuinis quæ per Dei prophetas, per filium Dei & eius Apostolos peculiariter nobis traditę sunt: ut sunt, lumen fidei in Christum collocandę, regeneratio in filios Dei, iustificatio & reconciliatio nostri cum Deo irato, satisfactio pro peccatis, liberatio à morte & gehenna, donatio uitæ æternę. Hæc enim beneficia offert filius Dei IESVS CHRISTVS, omnibus fide imbutis. His & Dei ueneratio & hominum salus ac uita continetur. Hæc nobis omnia diuino beneficio contingere, confirmant sacra Dei oracula. Hæc non ex Philosophia, sed ex sinu æterni patris prolata

prolata sunt: uoce filij Dei, Prophetarum & Apostolorum patefacta. Sic enim est proditū literis sanctis · Hoc est opus Dei, ut in eum credatis quem ille misit · Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem, ut filij Dei fierent, credentibus in nomen ipsius: qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt · Quod impossibile erat legi, eo quòd in carne nostra infirma erat, hoc Deus misso filio suo sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit: ac de peccato damnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis · Christus est propitiatio pro peccatis nostris: nō pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi · Venit filius hominis ut animam suam daret in multorum redemptionem · Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Hæc sunt oracula diuina, quibus docemur, negotium salutis Dei beneficio asscribendum esse. A' quo negotio excludi uires arbitrij nostri, nónne satis uerbis illis ostenditur? Qui filij Dei sunt, & qui credunt in nomen ipsius, ij non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Non tantùm sanguinis propagatio à natiuitate filiorum Dei excluditur: sed etiam uis hominis summa, ac ipsius liberi arbitrij pars præcipua: nempe uoluntas tum carnis, hoc est hominis spiritu Dei destituti: tum uiri, hoc est cuiuscunq; hominis. Paulus etiam de arcano prædestinationis loquens, docet non esse uolentis, nec currētis, sed Dei miserentis. Et de filijs Dei ex Mose colligit: Non qui sunt filij carnis, ij sunt filij Dei: sed qui sunt filij promissionis, censebuntur in semen. Et alio in loco de ijsdem sententias tradit contrarias: Si quis Christi spiritum non habet, is Christi non est: qui autem spiritu Dei aguntur, hi sunt Dei filij. Cùm autem ad solos filios Dei promissiones cœlestes pertineant, consequens est,

libero arbitrio nihil loci relinqui in promissionibus cœlestibus, atq; adeò in omni salutis nostrę negotio. Quod & Christus sic docet: Nemo potest ad me uenire, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Hæc à magistro & seruatore nostro dicta sunt in concione illa, cum ingens multitudo hominum audiuit quidem eum docentem, uerùm pauciſsimi fidem sermoni eius habuerunt: multi per cõtemptum fabri filium appellarunt: nonnulli etiam discipulorum ab eo desciuerũt, nec amplius cum eo uersabantur. Quid ita? Nónne in solitudine, ubi rerum omnium erat penuria, satiati sunt? nónne ipsum magistrũ audiuerunt de uita æterna docentem? nónne portenta uiderunt cum maxima potentia edentem? Quibus enim rebus alijs adduci debuerũt ad fidem ei habendam, qui uitæ æternæ uerba doceret? Ipse Christus causam affert: Nemo ad me uenit, nisi pater meus traxerit eum: &, Nisi cui datum fuerit à patre meo: &, Quisquis à patre audiuit ac didicit, is ad me uenit. Audis patrem esse, quo trahente ad Christum uenit, quisquis uenit. Audis excludi alios à patre: nec aliquem ad hanc societatem admitti. Sunt enim hæc Christi uerba: Qui audit & discit à patre, uenit ad me: &, Nemo nisi quem trahit pater, uenit ad me. Nec igitur libero arbitrio, nec ullis uiribus humanis patet accessus ad Christum, nisi patris doctrina illustratis, nisi eius numine afflatis. Nemo in hunc numerum cũ patre uenire potest: Pater est qui primas partes, qui medias, qui postremas sibi uendicat: & principium & progressum & perfectionem tanti operis sibi uni transcribi uult. Quid enim ingressum & principium huius operis magis indicet, quàm illa Christi uerba: Nemo uenit ad me, nisi quem pater meus traxerit? Non ait, (inquit Augustinus) duxerit, ut aliquo modo intelligamus præcedere illic uoluntatem. Quis trahitur, si iam uole-

Augustinus cõtra duas epist. Pel. ad Bonif. lib. 1. c. 19.

uolebat? Et tamen nemo uenit, nisi uelit. Trahitur ergo miris modis, ut uelit, ab illo qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari: non ut nolentes credant, sed ut ex nolentibus uolentes fiant. Hæc Augusſt. Cui uerbum Ducendi huic loco minimè conuenire posse uidetur: ne occasio daretur intelligendi, nos prius uelle, in nostraq; optione esse recipere, aut respuere quod offerat Deus. Huc pertinet Pauli uerbum: Non sumus idonei qui aliquid ut per nos ipsos uel cogitemus: sed quod idonei sumus, id à Deo est. 2. Cor. 3. Loquitur his uerbis Apostolus (inquit Augusſt.) de ijs quæ pertinent ad religionem Christianam: de quibus nemo potest utiliter cogitare ut credat, nisi Deo intus mouente, suggerente ac inuitante. Quod quidem & Lydiæ mulieris exemplo demonstrari potest, cuius animum Deus aperuerit, ut Pauli orationem de salute æterna attenderet: & Apostolorum actis, Act. 16. qui hominibus ad fidem Christo habendam inducendis non tantùm oratione cœlesti, sed & morborum curationibus & portentis ac prodigijs faciendis instructi erant. Quòd si nemo in cogitationem uenire potest rerum ad uitam æternam perducentium, nisi id ei cœlitùs immittatur: quanto minus ueniet in reliquas boni operis partes? Cogitatione enim bona sublata, nec uoluntas recta, nec executio constans consequi potest. De fide quoq; quæ ex bona cogitatione procedit, ipse Christus dicit esse opus Dei: & Augustinus confirmat in lib. de Prædestinatione sanctorum, & in lib. Retractationum, ubi sententiam quam contra Porphyrium asseuerat, retractat his uerbis: Quod dixi, tunc uoluisse Christum apparere hominibus, & apud eos prædicari doctrinam, quando & ubi sciebat homines fore qui in eũ fuerant crediturí, uerissimè quidem dixi: sed non ita accipiendum est, quòd Deus tantùm præscierit, quòd ipsi

ex seipsis essent crediturí, & à se ipsis fidem habituri: sed intelligere oportet, quòd & Deus præparauerit eos quibus ipse fidem donaret. Hæc ille.

Sed non tantùm ingressus, sed & progressus adimitur uiribus nostris, illis uerbis: Non est uolentis, nec currentis, sed Dei miserentis. Nam quia (inquit Augustinus) liberum arbitrium ad Deum diligendum primi peccati magnitudine perdidimus, ut in Deum credamus, & piè uiuamus, non est uolentis, neq; currentis: non quia non uelle debeamus, & currere: sed quia in nobis utrunq; efficit. Et alio in loco: Igitur non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei: quando quidem nec uelle, nec currere, nisi eo mouente atq; excitante, poterimus.

Ad Simpl. lib. 1. cap. 2

De ipso autèm progressu ac perseuerantia in salutis nostræ opere Christus ipse copiosè & splendidè sic concionatur: Ego sum uera uitis, & pater meus agricola est: qui omnem palmitem in me non ferentem fructum, amputat: & omnem ferentem fructum expurgat, ut plus fructus ferat. Sicut non potest palmes fructū ferre nisi manserit in uite: sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Qui in me manet, & ego in eo, is multum fert fructum: siquidem sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manet, is extrà proiectus aruit: ut sarmenta quæ colliguntur, & in ignem deflagratura conijciuntur. Quid uerbis istis clarius? Palmes extra uitem, fructum edere non potest, sed mox arescit: in uite manens, assidua eget opera agricolæ, qui eam excolat & expurget, ne siluescat ac sterilescat. Sic nos extra Christum exarescimus, nec ulli rei quàm deflagrationi idonei sumus: in Christo uerò, opera cœlestis agricolæ purgamur, ut fœcundi simus, fructum feramus, nostérq; fructus duret. Ad hæc, Paulus totum opus salutis nostræ Deo tribuit, his uerbis: Deus is est qui agit in uobis ut

Ioan. 15.

uelitis

uelitis & efficiatis, pro sua beneuolentia. Et uoluntatem igitur in uobis format, & efficiendi facultatem præstat pater benignissimus. Augustinus etiam de perseuerantia in bono usque ad uitæ finem, sic scribit: Ac ne de ipsa quidē perseuerantia boni uoluit Deus sanctos de uiribus proprijs, sed in ipso gloriari: qui eis non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo nō possint perseuerare si uelint, sed in his etiam operatur & uelle: ut quoniam non perseuerabunt nisi & possint & uelint, perseuerandi eis & possibilitas & uoluntas diuina largitate donetur. Tantū quippe accenditur Spiritu sancto eorum uoluntas, ut ideo possint, quia sic uolunt: ideo sic uelint, quia Deus operatur ut uelint. Nam si in tanta infirmitate uitæ huius (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici uirtutem oportebat) ipsis relinqueretur uoluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent, si uellent, nec Deus in illis operaretur ut uellent: inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua uoluntas ipsa succumberet. Et ideò perseuerare non possent, quia deficiente infirmitate nec uellent: aut non ita uellent infirmitate uoluntatis, ut possent. Subuentum ergo est infirmitati uoluntatis humanæ, ut diuinâ gratiâ indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur. Et ideo quamuis infirma, non tamen deficeret: neq; aduersitate aliqua uinceretur. Clarissimè hîc affirmat Augustinus, non tantùm bonum incipere Dei donum esse: sed & in bono perseuerare. In utroq; etiam, tam initio operandi quàm perseuerātia, uoluntatem ac possibilitatem nobis diuinitùs donari. Et hæc quidem dicta sint de fide & operibus ad æternam beatitudinem destinatis: quæ quidem opera nullus palmes, ut Christus loquitur, proferre potest, nisi in sua uite manserit. Non loquitur enim de operibus ad hanc uitam

Augustin. de cor. & gr. cap. 12.

tam honestè degendam necessarijs. nam horum causa non uenit Christus in mundum: & certè gentes à Christo alienas ea facere constat. Loquitur autem Christus de uoluntate patris cœlestis, de natura hominum uitiata, de nostri cum Deo offenso reconciliatione, deq; ijs omnibus quibus tum cultus Dei tum hominum æterna beatitudo continetur. Tales uuas, ex quibus exprimatur succus suauitatis cœlestis, palmes ferre nequit, nisi in uite sua maneat IESV CHRISTO. Hæc est uitis salutifera, uitalem succum præbens palmitibus suis. Hæc aqua illa, ex qua in bibentibus existit fons scaturiens ad uitam æternam. Hic est Christus filius Dei, qui nobis à patre suo factus est sapientia, iustitia, sanctitas, liberatio, ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nullum sibi ad tanti operis effectionem socium asciscit cœlestis pater, nec libero arbitrio, nec ullis naturæ uiribus portionem huius laudis impertit. Solus est inuentor, incœptor, effector & perfector salute nostra procuranda. Solus hanc sibi occupat laudem: omnibus ad eam aditum intercludit. Soli igitur illi gloria. In solo illo tanti boni authore & perfectore glorietur, quicunq; uerè uult gloriari.

CAPVT V.

Obiectionum solutiones.

Prima obiectio.

SVpereſt ut excutiamus, quæ ab hominibus doctissimis opponi solent. Si, inquiunt, uoluntas nostra nec uelle in rebus diuinis, nec efficere quicquam: ualet igitur uel est lapidi simílis, uel agit aliquid nolens ac coacta. quorum utrunq; ineptum & perabsurdum est. Quis enim ferat, hominem uitalitate & mente præditum in actionibus suis saxo æquari? aut eum qui uoluntatem naturâ

naturâ habeat, nolentem ac coactũ aliquid agere? Confusionis esset sermo eiusmodi, non doctrinæ ac sapientiæ. Quid est autem quòd Paulus hortatur nos, ad salutem nostram cum metu & timore operandam? An qui nihil agit, potest operari? An potius Paulus communiter tribuit opus unum Deo & homini? nam simulatq; hortatus est nos, ut cum timore ac solicitudine negotium agamus salutis nostræ, continuò subiecit: Deum hoc agere pro sua beneuolentia in nobis, ut & uelimus & perficiamus. Hæc minimè distrahenda sunt, sed contexenda, & aliud alio confirmandum. Si ideò operandum est, quia id Deus efficit: igitur cooperamur Deo efficienti, quemadmodum causæ secundæ cooperantur primis causis. Non sumus igitur nolentes, nec tanquam trunci aut saxa, salutis nostræ negotio agendo. Quod quidem ipsemet Paulus confirmat his uerbis: Dei enim sumus cooperarij. Et alio in loco: Gratia Dei sum id qd' sum, & gratia eius in me non fuit inanis: sed copiosius quàm eorũ quisquam laborauí: non ego tamen, sed gratia Dei mecum. Discutienda hæc sunt, & quid à uiris doctissimis accepimus exponendum. Hominem lapidi in suis actionibus æquari nec posse, nec debere, naturæ & facultatum eius inspectio satis ostendit. Potest uelle nolle, approbare improbare, appetere fugere, conari resistere. Veruntamẽ hæc uitiositate natiua corrupta sunt: qua fit, ut uelimus sæpe noxia, nolimus salubria, approbemus inania, improbemus firma, appetamus mortifera, fugiamus uitalia: conemur res nihili & incertas, resistamus stabilibus & certis. Quòd si in rebus terrenis hęc ita sæpe euenire uidemus: in rebus cœlestibus, quib. effi cimur filij Dei, omnino fieri prius ostendimus: ad quas aspirare nemo queat ex sanguinibus natus, nemo ex uoluntate carnis, nemo ex uoluntate uiri. Ad res eiusmodi

1. Pet. 1. cõsequendas renasci nos oportet non ex mortali, sed im mortali semine: per sermonẽ uiuentis Dei, & manentis in sempiternũ. Non igitur agit in nobis Deus tanquam in lapide, sine ullo motu uiriũ nostrarum interiore: sed mentem nostram, quæ sponte sua percipere non potest ea quæ sunt spiritus Dei, illustrat lumine fidei: uoluntatem ex prauitate in rectitudinem reformat, atque nos ita regenerat in uitæ nouitatem. Non igitur sumus trunci, aut saxei, quæ non nisi uiolenter aguntur: & cùm mouentur, nec intelligũt, nec uolunt. Nos agimur quidem à spiritu Dei: sed ita, ut acti & intelligamus, & uelimus, & assentiamur. Hæc enim efficit in nobis spiritus Dei. Ita non impellimur inuiti: sed persuademur, ut ex nolentibus simus uolentes: & quicquid facimus, uolentes faciamus. Nemo (inquit Augustinus) uenit ad Christum nisi uelit. Trahitur enim miris modis ut uelit, ab illo qui nouit in ipsis hominum cordibus operari, ut non nolentes credant, sed ex nolentibus uolentes fiant. Hæc ille. Non igitur uoluntas in nobis destructa est, sed reparata: uel si dicere malis, mala destructa est, bona creata. Quẽadmodum apud Ezechielem Deus loquitur: Dabo uobis cor & spiritum nouũ: auferam autem cor lapideum.

Augusti. de gr. & lib. arb. c. 20. Quod Augustinus sic: Non tollitur (inquit) per gratiam humana uoluntas: sed mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit, adiuuatur. Non igitur mirum, si Paulus & uiri sancti hortentur nos ad salutem nostram operandam, quos Deus ad operandum præparauit: quibus uoluntatem bonam & efficiendi facultatem subministrauit. Pleni sunt sermones Dei eiusmodi exhortationum, quibus regenerati admonentur officij sui. nimirum ut uitæ nouitatem operibus debitis exprimant: ut ita se gerant, ut dignum est ista uocatione ad quam uocati sunt.

Ecquid igitur (inquies) an sic agendo nihil agimus? Omnino

Omnino ex nobis nihil hîc agimus. siquidem Paulus dicit, Deum efficere in nobis ut & uelimus, & perficiamus: sed tamen acti agimus. Atq; ad hunc sensum Dei cooperarij sumus: nõ quòd uoluntas nostra singularem & secretum habeat motum à gratia Dei, sed quia Deus animum, uoluntatem & efficiendi potestatem in nobis faciat. quo faciente, impellente & agente, agimus quoque ipsi: nimirum ui nobis donata, & quasi impressa. Itaq; cùm ille efficit in nobis & uelle & efficere, uolumus quoque ipsi, & efficimus: nostraq; iam est, quæ Spiritus sancti uirtute facta in nobis est bona uoluntas. Per quã cùm agimus, prius à Deo acti, nihil mirum est si nobis pars actionis tribuitur. Aguntur enim filij Dei (inquit Augusti. cuius uerba infrà afferemus) ut etiam agant. Ideò apud prophetam non dicit Deus. Faciam ut nihil faciatis: sed, Ego faciam ut uos faciatis. &: Facite uobis cor nouum. &: Facite arborem bonam, & fructum eius bonum. *Infrà Obiectione 8.*

Sed huic tamen interpretationi contraria esse uidentur uerba illa Pauli: Copiosius alijs laborauí: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Significat se adiutum Dei gratia, plus alijs laborasse. Quomodo autem adiuuaretur, si non ipse ageret aliquid? Nam Augustinus citatis uerbis Psal. 17. Adiutor meus es tu, ne derelinquas me: subdit: Non adiuuatur, nisi qui & ipse aliquid agit. Igitur ex Augustini sententia agimus, qui à Deo adiuuamur. Quod quidem ipse sic alibi explicat: Non ego solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Et Paulus igitur, & Augustinus, sentire uidentur, uoluntatem nostram motum habere distinctũ à gratia Dei, in ijs agendis quæ sunt salutis nostræ. *August. de perf. iust. et serm. 15 de uerb. Apostoli. August. de grat. & libero arbit. cap. 5.*

Sed non hoc sentire illos, alijs testimonijs ostensum

est. Sententiam uerborum Pauli, qui Græcè sciunt, dicunt magis perspici posse ex Græca ueritate, quæ sic habet: ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. Quę uerba Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos sic interpretatur: Sed gratia Dei quæ mecum est. Subscribit Hieronymo Iacobus Faber Stapulensis, qui sic scribit legendum esse: Sed gratia Dei quæ est mecum. Erasmus autem sic: Sed gratia Dei quæ mihi adest. Castalio quoque sic: Sed fauor Dei qui mihi aderat. Iacobi Stapulensis uerba sunt hæc: Vulgata editio legit, Sed gratia Dei mecum. Sed dicendum potius, Sed gratia Dei quæ est mecum. Totum enim gratiæ Dei tribuit Paulus. Illa enim architectonica, & ipse, solum instrumentum & uas gratiæ Dei. Et ut Saluator dicebat Apostolis: Vos non estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Cùm etiam Paulus dixerat, Laboraui: statim uerbum suum quasi lapsus corrigit, & dicit: Non ego laboraui, sed gratia Dei quæ in me est, sed spiritus Dei in me. Hæc de uerbis Pauli. Sententia autem Augustini ex alijs locis, ubi magis exacte rem examinat, cognoscenda est. Sic enim in Enchiridio ad Laurentium cap. 32. scribit: Quomodo non uolentis nec currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia & ipsa uoluntas à Deo pręparatur? alioquin si propterea dictū est, Non uolentis nec currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroq; fit, id est ex uoluntate hominis & misericordia Dei: ut sic dictum accipiamus, Non uolentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, tanquam diceretur: Non sufficit sola uoluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam uoluntas hominis. ac per hoc si rectè dictum est, Non uolentis hominis, sed miserentis est Dei, quia illud uoluntas hominis non implet: cur non & econtrario rectè dicitur, Non miserentis est Dei, sed uolentis,

lentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed uolentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat, ut propterea rectè dictũ intelligatur, Non uolentis neq; currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, quia hominis uoluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona uoluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia. Quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa: nam utrunque legitur in sanctis eloquijs: &, Misericordia eius præueniet me: &, Misericordia eius subsequetur me. nolentem præuenit, ut uelit: uolentem subsequitur, ne frustra uelit. Hucusque Augustpsal. 58.11. copiosè quidẽ & subtiliter absurda colligit ex eo, si quis uoluntatem hominis ad Dei misericordiam aggreget in negotio salutis nostræ. Eandem sententiam repetit ad Simplicianum lib. 1. q. 2. quam Lombardus recitat Sent. 2. d. 26. §. uoluntatem. Etsi igitur agimus acti à Deo, cooperamurq; Deo operanti: tamen actio & cooperatio huiusmodi, est uoluntatis à Deo formatæ. Ita uoluntas humana non est tanquam instrumentum mutum & inanime sine motu (habet enim motum & actionem in bono opere) sed ille motus est à Deo renouante, uires suppeditante, excitante & perficiente. Hoc enim est quod ab Augustino multis in locis dicitur: Deum præuenire nolentem ut uelit, subsequi uolentem ut ne frustra uelit. Ipse (inquit) ut uelimus operatur incipiens, qui uolentibus cooperatur perficiens. Plura postea afferemus ex Augustino in eandem sententiam. Iactis autem hisce fundamentis responsionum, facilis erit solutio reliquorum argumentorum: quæ multa sunt, & sanè ualida, ac multorum calculis comprobata. Nos præcipua referemus, & qualiter refutanda sint, de sentẽtia uirorũ doctorum ostendemus.

Secunda obiectio.

Iubet (inquiunt) Dominus ut ad se cõuertamur: Conuertimini, inquiũt, ad me, & ego cõuertar ad uos. Zach. 1. & Ierem. decimoquinto: Hæc dicit Dominus: Si conuerteris, conuertam te. Prior est igitur hominis conuersio ad Deum, quàm Deus se ad illum conuertat. Frustra enim præciperetur homini, quod ille præstare non posset. Ad hoc respondet diuus Thomas 12. q. 109. a. 6. ad. 1. Conuersio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, & secundum hoc homini præcipitur ut se ad Deum conuertat: sed liberum arbitrium ad Deum conuerti non potest, nisi Deo ipsum ad se conuertente. iuxta illud Threnorum ultimo: Conuerte nos Domine, & conuertemur. Et Ierem. 31. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. His uerbis Thomas motum & actionem tribuit libero arbitrio: sed non nisi ducente Deo, & gubernante.

Tertia.

Alij sic inquiunt: Christus dicit: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Et apud Prophetas Deus: Si uolueritis & audieritis, bona terræ comedetis. Est igitur in potestate hominis, seruare mandata. Respondet Augustinus: Certum est, nos mandata seruare, si uolumus: sed quia præparatur à Deo uoluntas, ab illo petendum est ut tantùm uelimus, quantum sufficit ut uolendo faciamus. Certum quidem est nos uelle, cùm uolumus: sed ille facit ut uelimus bonum, de quo dictum est: Voluntas præparatur à Domino. & de quo dictum est quòd operatur in nobis & uelle & operari: & de quo dictum est, A Domino gressus hominis diriguntur. & uiam eius uolet. Certum quidem est nos facere, cùm facimus: sed ille facit

August. de gr. & lib. arbitrio, cap. 16.

facit ut faciamus, præbẽdo uires efficaciſsimas uoluntati. ſicut dicit: Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis. Verè igitur Chriſtus, qui eſt ueritas ipſa, dixit: Si uis ad uitam ingredi, exeque re præcepta. Præcepta enim, inquit Auguſt. tam ſunt utilia facienti atq; ſalubria, ut niſi quis ea fecerit, uitam habere nõ poſsit. Verumenimuerò quomodo ea exequenda ſint, conſiderandum eſt. Vbi enim non adeſt ſpiritus uiuificans, præcepta ipſa occidunt: tantùm abeſt ut perducãt ad uitam. Paulus enim dicit Literam occidere, ſpiritum uiuificare: quod intelligendum eſſe de ipſis præceptis Decalogo comprehenſis, eodem in libro Auguſtinus copioſè demonſtrat. Enumeratisq; alijs præceptis, citat & illud: Ne concupiſcito. per quod (inquit) mandatum, quamuis ſanctum & iuſtum & bonum, fefellit me peccatum, & per illud occidit. Nam ubi ſanctus nõ adiuuat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt, charitatem diffundẽs in cordibus noſtris: profectò illa lex quamuis bona, auget prohibendo deſiderium malum. Sicut aquæ impetus ſi in eam partem non ceſſet influere, uehementior fit obice oppoſito: cuius molem cùm euicerit maiore cumulo præcipitatus, uiolentius per prona prouoluitur. Neſcio quo enim modo hoc ipſum quod cõcupiſcitur, fit iucundius dum uetatur. Et hoc eſt quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit: cùm accedit etiam præuaricatio, quæ nulla eſt, ubi lex nõ eſt. Hæc ille.

De ſpir. & lit. cap. 14.

Cap. 14.

Cap. 44.

Quarta.

Obijciunt & Chriſti uerbum illud Matth. 12. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ex fructu enim arbor cognoſcitur. Quæ uerba ſic Auguſtinus interpretatur: Niſi quis (inquit) mutauerit uoluntatẽ, bonũ operari

Aug. retr. lib. 1. c. 22.

operari non potest. Quod in nostra situm esse potestate, docet Saluator cùm dicit: Aut facite arborem, &c. Hoc autem non est contra gratiam, quam prædicamus. In potestate quippe est hominis, mutare in melius uoluntatem: sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo, dicente Scriptura, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc sit in potestate, quod cùm uolumus, facimus, nihil tam in potestate quàm ipsa uoluntas est: sed præparatur uoluntas à Domino.

Quinta.

Alij sic: Christus dicit Matthæi 7. Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Respondet Augustinus. Attendant quomodo falluntur qui putant esse à nobis, non donari nobis ut petamus, quæramus, pulsemus: & hoc esse dicunt, quo gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa cùm accipimus petentes, inuenimus quærentes. nec uolunt intelligere, hoc diuini esse muneris ut petamus, quæramus, pulsemus.

Sexta.

Præterea quærunt: Quorsum pertinẽt præcepta quę omnibus feruntur, si non est potestatis nostræ obtemperare? Cur Deus iubet ut faciamus nobis cor nouum, si id non ualemus? Quæ item est uis lib. arbitrij, si non perinde facere bonum atq; malum possimus? Voluntas libera (inquit Pighius) naturaliter inest homini, qua proprios suos motus, actionesq; omnes in potestate habeat: ita quidem, ut quod uelit, faciatq;, possit non uelle, non facereq;. Respondeo: Si hæc definitio Pighij est uoluntatis liberæ, quæ nulli subiecta est seruituti, qualis erat primorum parentum nostrorũ ante peccatum, est uera: si uerò qualis est post lapsum, rectius mihi definita uidetur à Petr. Lombardo: Liberum arbitrium (inquit) est facultas rationis & uoluntatis, qua bonum eligitur

Sent. 2. d. 24. §. lib. uerò arb.

gratia

gratia assistente, malum ea deficiente. Augustinus uero: Liberũ, inquit, arbitriũ captiuatum non nisi ad peccatum ualet: ad iusticiam uero, nisi diuinitus liberatum adiutumq; non ualet. Idem de corrup. & grat. ad Valentinum: Voluntas humana nõ libertate consequitur gratiam, sed gratia consequitur libertatem: & ut perseueret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Quantum autem tribuendum sit libero arb. sic ostendit: Liberum arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos habere. sed in malo faciendo liber est quisque iusticiæ, seruusq; peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit antè à filio Dei liberatus. Et: Sola Dei gratia liberantur homines à malo. Sine hac nullum prorsus siue cogitando, siue uolendo & amando, siue agendo faciunt bonum: non solùm ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, sed ut ea præstante faciant cum delectatione quod sciunt. His uerbis Augustinus concedit quidem, homini uoluntatem liberam esse, quòd & mala & bona esse possit: sed tamen ex se mala tantùm, bona non nisi ex Dei gratia. A' qua sententia immane quantum distat definitio Pighij, si tamen ille loquitur de uoluntate naturæ corruptæ. Adferamus aliam Augustini sententiam, ex qua & usum legis diuinæ, & uirium nostrarum facultatem cognoscamus. Is lib. de grat. & libero arb. cap. 15. & 16. Meminerimus (inquit) Deum dicere, Conuertimini & uiuetis: cui dicitur, Conuerte nos Deus. Meminerimus Deum dicere, Proijcite à uobis omnes impietates uestras, cùm ipse iustificet impium. Meminerimus ipsum dicere, Facite uobis cor nouum & spiritum nouum: qui dicit, Dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum dabo uobis. Quomodo ergo quod dicit Facite uobis, hoc dicit, Dabo uobis? Quare iubet, si ipse daturus est? Quare dat, si

Aug. cõtra duas epist. Pelag. ad Bonif. lib. 3 cap. 8.

Aug. de cor. & grat. cap. 8.

Cap. 1.

Cap. 2.

homo facturus est? nisi quia dat quod iubet, & adiuuat ut faciat cui iubet. Semper est autem in nobis uoluntas libera, sed non semper bona. Aut enim à iusticia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando seruit iusticiæ, & tũc est bona. Gratia uerò Dei semper est bona: & per hanc fit ut sit homo bonæ uoluntatis, qui prius fuit uoluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona uoluntas quę iam esse cœpit, augeatur: & tam magna fiat, ut possit implere diuina mandata, quæ uoluerit, cùm ualde perfecteq́ uoluerit. Ad hoc enim ualet quod scriptum est: Si uolueris, conseruabis mandata. ut homo qui uoluerit, & non potuerit, nondũ plenè se uelle cognoscat, & oret ut habeat tantam uoluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuuatur, ut faciat quod iubetur. Tunc enim utile est uelle, cùm possumus: & tunc utile est posse, cùm uolumus. Nam quid prodest, si quod non possumus, uolumus: aut si quod possumus, nolumus? Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non iubet Deus quòd sciret ab homine non posse fieri. Quis hoc nescit? Sed ideo iubet aliqua quæ non possumus, ut nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa enim fides est, quæ orando impetrat quod lex imperat. Hæc ille.

Eccl. 15.

Septima.

Quærunt alij, Quorsum pertinẽt exhortationes, admonitiones, correptiones, si non est in hominis arbitrio situm ut obtemperet? Respondet Augustinus: Tunc correptione proficit homo, cùm miseretur atq́ adiuuat qui facit quos uoluerit, etiam sine correptione proficere. Et: Cùm homines per correptionem in uiam iusticię seu ueniunt, seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante,

August. de cor. & gr. ad Val. c. 5. Cap. 14.

gante, & quolibet in agris atq; arbustulis operante, dat incrementum Deus? cui uolenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium. Et: Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non ualemus, & ob hoc omnes saluos fieri uelle debemus: omnibus, ne pereant, uel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio. Dei autem est, illis eam facere utilem, quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Cap. 16.

Octaua.

Paulus (inquiunt) dicit nos esse Dei opus, qui conditi simus in Christo ad bona opera, quę præparauit Deus ut in eis ambularemus. Si ita conditi sumus, ut ambulemus in operibus bonis: ergo operari possumus naturâ, quæ sic condita sit. Itē: Si solus Deus efficit in nobis uelle & operari: & nec plantans nec rigans est aliquid, sed Deus tantummodo qui incrementum det: quid opus est ut uel audiamus eos qui docent, uel conemur operari? Respondet Augustinus: Fingimur, id est formamur in bonis operibus, quæ non præparamus ipsi, sed præparat Deus, ut in illis ambulemus. Quis porrò sit formandi modus, ostendit: Quoniam ipse ut uelimus operatur incipiens, qui uolentibus cooperatur perficiens. Vt ergo uelimus, sine nobis operatur. Cùm autem uolumus, & sic uolumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo uel operante ut uelimus, uel cooperante cùm uolumus, ad bona pietatis opera nihil ualemus. His uerbis de cooperatione Dei loquit: sed quæ accedit uoluntati bonæ à Deo formatæ, non hominis facultate fictæ. De nostra uerò cooperatione sic scribit: Non se fallant, qui dicunt, Vt quid nobis prædicatur atq; præcipitur ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc non agimus, sed id uelle & operari Deus operatur in nobis? Ephes. 2. Aug. de gr. & lib. arb. cap. 8. Cap. 17. Aug. de cor. & gr. c. 2.

bis: sed potius intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant: & cū egerint, illi à quo aguntur gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant. Et ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est cum dilectione & delectatione iusticiæ, suauitatē quam dedit Dominus ut terra eius daret, fructum suum accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, siue omnino non faciendo, siue non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt quod non accepturi sint: aut quid habent quod non acceperunt? Hæc ille.

Nona.

Obijciunt & illud uulgare dictū: Quem trahit Deus, uolentem trahit. non igitur trahitur, nisi qui prius uoluit: alioqui non sponte sequeremur Deum uocantem, sed uiolenter traheremur. Respōdeo, Non inuitos nos trahi: nam Deus ex nolentibus facit uolentes. Hoc suprà uerbis Augustini expressimus, enarrādo uerba Christi, Nemo uenit ad me, &c.

Decima.

Adhuc obijciunt illud: Facienti quod in se est, Deum non denegare gratiam. Itaq; in hominis est potestate, ut se præparet faciendo quod in se est. Respondet Tho. 12. q. 109. à 6. ad 2. Quòd nihil potest homo facere nisi à Deo moueatur, secundum illud Ioan. Sine me nihil potestis facere. Ideo cùm dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus à Deo.

Vndecima.

Proferunt & illud Augustini, cùm dicit creationem à reformatione seu iustificatione distare: Qui te creauit sine te, non iustificabit te sine te. Hoc îdem August. sic interpreta-

terpretatur: Deus ab hominibus creandis nihil exigit, utpote qui nõ erant antequam crearentur. A' iustificandis autem hominibus passim in Scripturis exigit ut credant, resipiscant, pœnitentiam agant, ad cor redeant, orent remissionem peccatorum, & gratiam accipiãt. Sed ne quis putet hoc hominem uiribus suis facere posse, mox subdit. Quæ sanè opera neq; ipsi iustificandi facere possunt absq; præueniente gratia eius uocantis, intusq; mouentis corda ipsorum, ut hæc uoluntariè faciant. Sic Augustin. in Psal. 114.

Duodecima.

Duo loca sunt (quod sciam) præcipua contra sententiam quam diximus: quę etsi perdifficiles explicatus habent, uerùm quia ualde iactantur disputationibus aduersariorum, examinanda sunt, si fortè uerum inueniri queat. Vnus locus est Gen. 4. ubi hæc uerba referuntur Dei ad Cainum: Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nónne si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit. Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Respondeo: Priorem partem bimembrem & conditionalem esse, ueram quidem illam: Si rectè facis, seruaberis: sin minus, peribis. Posterior pars simplex est, & categorica: Sub te erit appetitus peccati, & tu dominaberis illi. Hæc propositio uel ad priorem partem superioris conditionalis pertinet, uel ad posteriorem. Ad posteriorem pertinere nequit: nam qui malè facit, peccato non dominatur, sed potius peccatum illi, ut Christus dicit: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Pertinet igitur ad priorem. Hoc enim ex cõtrario sequitur, ut sicut faciens malè, seruus est peccati: ita faciens bene, dominus sit peccati: usque eò quidem, ut & appetentiam peccati & dominatum eius excutiat, qui rectè faciat. Igitur sensus est: Si facis bene, pec

cato dominars: sin malè, peccatum tibi dominatur. Porrò ex propositione conditionali nec hoc nec illud colligi posse, Dialectici nos docuerunt.

Decimatertia.

Alter locus est Deut. 30. ubi Moses lege publicata sic multitudinem alloquitur: Mandatum quod præcipio tibi, non est supra te, nec procul positum, ut illud uel è cœlo uel é locis transmarinis uel aliunde sit petendum: sed est prope te, in ore & corde tuo, ut facias illud. Floridus est hic locus, & ab omnibus sententiæ quam sequimur impugnatoribus ualde celebratus. Cuius enarratio haud scio unde melior petenda sit, quàm ex Paulo, qui sic inquit Rom. 10. De ea quidem iustitia quæ in lege sita est, scribit Moses, hominem qui iussa præstiterit, uictu rum esse per ea: & quæ sequuntur. Facit enim Paulus collationē iustitię legis, & iustitiæ Euangelij: illius uim & rationem in faciendo, huius in credendo sitam esse ait. Illius hanc sententiam esse: Qui fecerit hæc, uiuet in eis. huius hanc: Qui ore & corde agnouerit Christum, seruabitur.

At enim inquies: Quòd Moses de mandato faciendo præcipiebat, hoc idem dicit situm esse in nobis, neq; a-
Deut. 30. liunde petendum. Non est (inquit) in cœlo, ut dicatis, Quis eò ascendet ut ad nos afferat, ut audiamus, & opere compleamus? neq; trans mare, ut dicatis: Quis mari traiecto adducet illud, ut audiamus & pareamus? Sed prope uos est uerbum, in ore & corde uestro, ut faciatis illud. Propono uobis bonum & malum, uitam & mortem, ut mandatis Dei seruandis uiuatis, crescatis, & bene agatur uobiscum. Sin mandata uiolaueritis, peribitis, nec diu uiuetis. Nónne his & similibus uerbis Moses palàm testatur, nostram potestatem esse mandatis Dei parendi? uitamq; & prosperitatem ex eorum obseruatione

tione nanciſcendi? Non enim tantùm cognitionē mandatorum dicit eſſe proximè eos ad quos loquebatur, ſed facultatem illorum præſtandi. Dicit enim: Prope te eſt ut facias illa. Non eſt ſupra te: hoc eſt, non eſt ſupra uires tuas. Eſt prope te, hoc eſt, in tua poteſtate. Eſt in ore & in corde tuo ut facias: hoc eſt in uiribus, & quaſi uiſceribus tuis. Quid enim clarius dici potuit ad uirium noſtrarum oſtenſionem? Quid igitur dicendum ad locum tam urgentem? tam & uerbis & ſententijs noſtras uires ad opus præſtandum impellentem? Ego uerò negare non poſſum, Moſen hîc de lege loqui. Verumenimuerò Paulus certiſsimus Moſis & uatum interpres, hæc eadem uerba omnia ad Euangelij gratiam transfert: hoc arbitror (quod ipſe fatetur) conſilio, quòd finis legis Chriſtus ſit, ad ſalutem omni credenti. Notum eſt diſcrimen legis & gratiæ. Illa exigit opera ad ſalutem neceſſaria: & oſtendit quid iuſtum ſit, quid iniuſtum. hæc docent ſalutem gratis propter Chriſtum: & auxilium præſtat agendi quod iuſtum eſt, uitandi quod iniuſtum. Quod ſic luculenter docet Auguſtinus: Vſque adeò aliud eſt lex, aliud gratia, ut lex non ſolùm nihil proſit, uerumetiam plurimùm obſit, niſi adiuuet gratia. Et hæc oſtendatur legis utilitas, quoniam quos facit præuaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos: & ut concupiſcentias malas ſuperent, adiuuandos. Iubet enim magis, quàm iuuat: docet morbum eſſe, non ſanat. Imò ab ea potius, quod non ſanatur, augetur: ut attentius & ſolicitius gratiæ medicina quæratur: quia litera occidit, ſpiritus uiuificat. Igitur tum de Pauli, tum de Auguſtini ſententia dicendum uidetur, rectum eſſe uſum legis, ut ſit pædagogus ad Chriſtum. Ideo quibus uerbis Moſes utitur populo ad legem præſtandam hortando, ijſdem Paulus Chriſti

Aug. de gr. contra Pel. & Cel. c. 8.

Christi gratia commendanda. Quæ (inquit) ex fide est iustitia, non dicit, Quis in cœlum ascendet? Hoc enim esset Christum inde deuocare. non etiam dicit, Quis descendet in abyssum? hoc enim esset Christum illinc reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope te uerbum est, in ore & in corde tuo. Quod uerbum? uerbum fidei quod
Deut. 30. prædicamus: nempe, Si confessus fueris ore Dominum IESVM, & credideris in corde tuo quòd Deus suscitauit illum ex mortuis, saluus eris. Vides Paulum citare Scripturam, & quidē eam quę est Deut. 30. Vides eū ijsdem uerbis uti, quibus Moses. Moses meminit cœli, & locorum transmarinorum: Paulus cœli & abyssi. Vterque dicit, non necesse esse petere è locis tam longinquis doctrinam quam tradidisset: uterq; affirmat prope esse uerbum in ore & in corde, quod docerent. Sed ille uerbum suum ad faciendum, iste ad confitendum & credendum refert. Et Moses igitur rectè: Verbum legis qđ proposuisset, in ore & corde esse ut audirent, & ei parerent, qui salui esse uellent: & Paulus rectè, uerbum Euangelij, quod prædicaret, in ore & corde esse, ut illud confiteantur, & ei credāt, qui salui esse uellent. Scilicet uterque doctor in munere suo uersatur: finem uterq; ostendit doctrinæ suæ. ille, ut auditores legem faciant: iste, ut auditores ore & corde Christum agnoscant. Auditores nulli saluantur, nisi uerbum corde comprehendant: ac uelut terra bona semen in se iactum retineant, ac fructum ferant. Igitur Moses dicit: Prope te est uerbum, quod ex me audisti: est in ore & corde tuo, ut illi pareas. Q. d. Non satis est te audiuisse. non enim leges propter solam cognitionem feruntur: nisi ad actionem tanquam ad effectū perduci possint, minimè leges putandæ sunt. Paulus quoque dicit, Prope est uerbum in ore & corde tuo, ut Christo fide & confessione adhæreas. Q. d. non

satis

satis est te audiuisse, nisi fidem & confessionem addas uerbo audito. Ita ex ipso textu uerborum contulimus Paulinam sententiam cum Mosis doctrina. Cùm autem & Moses & Paulus ita loquantur, ut non obscurè significent, in potestate hominis esse tum legem facere, tum Euangelio credere: meritò aliquis quærat, num hominis uires sint eiusmodi, ut hæc præstare possint? Nos uerò hanc quæstionem superius persoluimus. Profectò nisi Deus uim tum credendi, tum præstandi quod iubet, dederit, erit & lex iugum illud cui nec patres nec nos ferendo sumus, & Euangelij prædicatio odor ille mortalis ad mortem. Opus est & ad faciendum & ad credendum uirtute diuina. Itaq; Moses, priusquam uerba quæ attulimus edixisset, sic præfatus est: Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, ut possis uiuere. Verba igitur Mosis in eo populo fructum ferebant, cuius cor esset circuncisum: hoc est renatum & renouatum, & ad Deum cõuersum: quod opus solius Dei esse, ibidem dicit Moses. Paulus autem cùm uellet docere, Christum esse qui iusticiã legis perficiat, dicit illum finem legis esse, per quem salus contingat omnibus illi fidentibus. Iam fidem opus Dei esse, Christus fatetur. Et Paulus dicit: Deum qui iusserit è tenebris lucere lucem, eum esse qui nostris illuxerit animis ad claritatem cognitionis gloriæ Dei in IESV CHRISTI persona. Igitur ut tantorum cõcionatorum doctrinam cum fructu percipiamus, rogandus est Pater cœlestis, ut qui aures nobis dedit ad audiendum, uirtutem nobis det ex alto agnoscendi quod audimus, suumq; sermonem re & opere præstandi. Hoc nisi ille dederit, erit quod Christus dicit, Vt uidentes non uideant, audientes non intelligant. Cur autem & Moses & Paulus tantopere urgent quod

Actor. 15.
2. Cor. 3.
2. Cor. 4.
Luc. 8.

docent?

docent? Quia hoc est officiũ illorum. Certè non debemus putare, ab illis plus præstari posse docentibus, quã à Christo docente præstitum est. Multitudo erat ingens eorum qui conciones illius audiuerunt: at quotusquisq; erat qui credidisset docenti? Itaq; ipse exclamat, Neminem uenire ad se, nisi quem trahat pater cœlestis. De quo quoniam superius copiosè disseruimus, hoc omisso loco alia persequamur.

Decimaquarta.

Act.10. Huc enim alij adferunt exemplum Cornelij, admodum illustre: cuius eleemosynæ & preces Deo gratæ fuerunt etiam si homo ethnicus esset, nullaq; gratia Dei præditus. De hoc sic scribit Thomas Aquinas: De Cor-
Tho. 22.q. 10.a.4. nelio sciendum est, quòd infidelis non erat: alioqui eius opera non fuissent accepta Deo: cùm sine fide nullus placere potest. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Euangelij ueritate. Ideò mittitur ad eũ Petrus, ut eum in fide plenius instrueret. Sic Thomas. Sed & illa consideranda sunt, quæ de Cornelio narrat Lucas. Primùm enim pietas eius, & Dei metus commendatur. Deinde preces & eleemosynæ, tanquam fructus bonæ arboris prædicantur: ac ideò etiam apud Iudæos bene audiuisse dicitur. A quo igitur bonus, pius, religiosus & Dei metuens fuerat effectus? Non à suis uiribus, aut benefactis. Arborem enim prius oportet bo-
Ezech.11. 36. nam esse quàm pariat fructus bonos: sed ab eo qui amputat præputium cordis nostri: qui cor lapideum aufert,
Act.15. dat autem carneum, nouumq; spiritum: qui fide corda suorum purificat. Itaque Petrus cùm gentes, tanquam profanas & impuras, ab Euangelij beneficio alienas es-
Actor. 10 se debere putaret, ex oraculo audiuit: Quæ Deus purgauit, ne tu polluta dixeris. Quod quidem etsi uniuersè dicitur: tamen quia tunc propter Cornelium dicebatur,

Corne-

Cornelius à Deo purgatus fuisse putandus est. Audiuit igitur Deus preces eius: & benignè eius facta, grata habuit. Ad hæc cùm preces eius dicuntur ascendisse ad Deum, an non satis significatur, instinctu diuino eum orasse? Quid enim oremus, uti Deus postulat, nescire nos testatur Paulus: sed ipse spiritus pro nobis supplicat gemitibus inenarrabilibus. Quòd si Cornelius Dei spiritu præditus fuerat, si preces & benefacta eius Deo grata fuêre, an non consequens est, & ipsum fide illustratum, sine qua Deo placere impossibile sit, & eadem fide cor eius purgatum fuisse? Rom. 8. Hebr. 11. Actor. 15.

Decimaquinta.

Occurrunt alij quæstione alia sanè, & illa perquàm difficili: Si, inquiunt, homo sine gratia nec uelle nec facere bonum potest, necessariò igitur peccat: cur igitur punitur? Atqui nemo in eo peccare dicendus est, quod uitare nō potest, nec iustum esse uidetur, infligi pœnam pro eo ad quod quis necessitate impellitur. Respondeo: Necessitas non excusat à peccato, quæ uitiositate nobis innata contracta est. Thomas paulò mutatis uerbis, sic loquitur: Quamuis illi qui in peccato sunt, uitare non possunt per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, uel ponant, nisi auxilio gratiæ diuinæ præueniantur: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa in eis præcedenti relinquitur. Sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem cōmittit, quam sua culpa incurrit. Hæc ille. Quidam uiri docti hunc nodum soluunt, necessitatis & coactionis separatione: ut hominem absq; gratia necessariò quidem peccare dicant, sed non ui externa coactum. Quasi uerò non idem efficiatur, seu coactu extraneo agas quid, seu necessitudine interna, quàm nulla ui frangere queas. Et qui necessitate Tho. contr. Gent. lib. 3. cap. 160.

astringitur, & qui ui exteriore cogitur, uitare non possunt suis uiribus, ad quod impelluntur ui maiore. Iam quæstio est, an sicut coactu alieno scelus patrans ex culpa & pœna eximitur: ita qui necessariò delinquit: an uerò necessitas, quæ (quòd extrinsecus obiecta non sit) uideatur esse spontis nostræ, nec culpa liberet, nec pœna, delinquentem? Mihi uerò, & qui coacti, & qui necessariò quid agunt, eodem in numero habendi uidentur: siquidem culpa eorũ accidat, ut uel cogantur, uel necessitate premantur. nõ enim minor uis, nec minus impedimentum est qđ in nobis est, nostrisq; in uisceribus hæret, quàm quod est extra nos. Imò æquè prope, aut fortè propius illud ad effectum accedere potest, quàm hoc. Magis igitur hîc respectũ habendũ esse puto ad causas impositæ nobis tum coactionis tum necessitatis, quàm ad hæc principia actionũ intra uel extra nos positarum recurrendum. Cùm igitur necessitas peccandi ab originis nostræ uitio, tanquam à radice & propagine nobis impressa sit, nõ secus nos peccantes culpa & pœna exoluit, quàm cædem aut stuprũ aut aliud uitium per ebrietatem patratum excusat ebrietas ipsa, quę tanquam fons & mater multorum malorum supplicijs multis afficienda esset: tantùm abest ut sceleribus quæ per ipsam patrata sint, patrocinari deberet. De quo Pittaci lex fert, qua iubet ut ebrij, si quem percutiãt, maiorem dent pœnam quàm sobrij: scilicet uoluit non tantùm percussionem uindicari, sed ebrietatem quoq;, per quam facinus admissum esset. Cur autem Deus ob delictum Adæ, totũ mortalium genus tot malis uoluerit inuolui, hoc Theologi non est inuestigare: utpote quod literis diuinis proditum non sit. Satis est Theologo ostendere, hoc Deum uoluisse. Paulus certè, cùm docuit Deum ex eadem massa alios ad uitam eligere, alios exitio relinquere, causam nullam

nullam affert cur id fiat, & quomodo: sed in uocem illam erumpit, O altitudo. Ita & nos minimè decet esse curiosos, cur in persona Adæ totum humanum genus inquinatum sit, & morti adiudicatum.

Decimasexta.

Iam quæstio illa exoritur: Cur Deus alios trahat, alios negligat? an est personarum respectus apud illum? an uerò ipse est causa interitus alicuius? Respondet Augustinus de Spiritu & lit. cap. 35. Si quis (inquit) nos ad profunditatem illam coarctet, cur ita suadeatur huic ut persuadeatur, alteri autem non persuadeatur, duo habeo quæ respondeam: O altitudo diuitiarum, &c. &: Nunquid est iniquitas apud Deum? &c. Thomas autē cont. Gent. lib. 3. cap. 161. Cum autem (inquit) Deus homines qui in eisdem peccatis detinentur, hos quidem præueniens conuertat, illos autem sustineat siue permittat secundum ordinem rerum procedere, non est ratio inquirenda quare hos conuertat, & non illos. Hoc autem ex simplici eius uoluntate dependet: sicut ex simplici eius uoluntate processit, quòd cùm omnia fierent ex nihilo, quædam facta sunt alijs digniora: & sicut ex simplici uoluntate procedit artificis, ut eâdem materia simul disposita, quædam uasa formet ad nobiles usus, & quædam ad ignobiles. Hæc ille.

Decimaseptima.

Quærunt adhuc, cur Deus mercedem promittat operibus nostris, si ea non nostris uiribus facimus: sed & uoluntate & facultate diuinitùs data? Quia (ut inquit Augustinus) ei placet, sua dona in nobis coronare. Primùm enim miseretur Deus hominis ab omni bono uacui atq; nudi, solis miserijs cooperti: quem donis suis ornat, beneficijs remunerat & coronat. De quo sic Augustinus in epistola ad Sixtum: Sicut ab initio fidei (in- Ep. 105.

quit)misericordiam consequuti sumus, nō quia eramus fideles, sed ut essemus: sic in fine, quod erit uita æterna, coronabit nos, sicut scriptum est, in misericordia & misericordia. Non itaq; frustra Deo cantatur, Et misericordia eius præueniet me. Et: Misericordia eius subsequetur me. Vnde & ipsa uita æterna (quæ utiq; in finē sine fine habebitur, & ideo præcedentibus meritis redditur: tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam) etiam ipsa gratia nuncupatur: non aliam ob causam, nisi quia gratis datur. nec ideo tamen quia non datur meritis, sed quia data sunt ipsa merita quibus datur. Præclarus est hic locus Augustini, & ad explicandam rationem meriti nostri insignis. Affirmat Augustinus, & initio nos effici fideles, & in fine coronari Dei misericordia: & tamen coronam reddi meritis nostris. Quibus? Non à nobis paratis nostra sufficientia, sed in nobis factis Dei gratia. Ideo & ipsam coronam uitæ æternæ gratiam dici, utpote gratis datam: non quòd non debeatur meritis nostris, sed qa & ipsa merita data sunt. Clara sunt omnia. Data sunt nobis merita à Deo: sunt igitur dona Dei: non sunt igitur homini propria, qui malum esse bonum non nisi dono Dei efficiat. Ostendimus autem superius, nec in cogitatione hominis, nec in uoluntate, nec in opere esse quicquam boni, quod ad res cœlestes referri possit. Nullum igitur meritum hominis erit in ipsius uiribus, rerum cœlestium respectu. Quicquid in eo meriti uideri possit, id esse donatum à patre benignissimo, qui & donis suis nos benignè ornat, & eadem sua bona in nobis coronat: non pro meritis nostris, sed pro sua misericordia. Id quod Dauid sic cecinit: Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Nunquid (inquit Augustinus) non corona bonis operibus redditur?

Psal. 102.

redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est: Deus est enim qui operatur in nobis & uelle & operari, pro bona uoluntate. Ideò dixit Psalmus: Coronat te in miseratione & misericordia, qa eius miseratione bona operamur, quibus corona redditur. Et superius eodem in lib. sic scribit: Dona sua coronat Deus, non merita tua: si tibi à teipso non ab illo sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt. at quæ mala sunt, non coronat Deus. Si autem bona sunt, Dei dona sunt. Et paulò pòst: Si ergo dona Dei sunt merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Alibi idem Augustinus monet filios Dei, ut se gratiæ uasa esse meminerint, non meritorum: quando gratia illis omne meritum est. Sic ille.

Augusti. de gr. & lib. arb. c. 9.

Cap. 6. & 7.

Aug. de cor. & gr. c. 7.

CAPUT VI.

Continet Epilogum.

HAec ex multis pauca recensere uisum est, ad quorum similitudinem alia multa explicanda sunt. Maluimus autem hæc de sentẽtia aliorum enarrare: ut quoniam multorum de hac quæstione Theologorum, nobilium sanè, & in primis probatorũ, existunt uariæ concertationes, quisque nostra legens, sciat nos grauissimis authoribus minimè esse destitutos, qui nobis hunc sensum ac intelligentiam aperuerunt. In quibus authoribus si quis desideret aliquid, uel si contrarium illos alijs in locis sentire existimet: cum illis ipsis agat, non nobiscum, qui in nullius quidem iurauimus uerba Magistri: sed & quæ cum diuinis literis consentanea nobis magis uideantur, ea sequimur: & in contrarijs alicuius dictis, magis obseruandum putamus quid alicubi ex instituto definiat, quàm quid in alieno argumento, uel obiter, uel temporis causa dicat. Omnino inter quæstiones difficili-

difficilimas hæc una est de libertate nostra, quæ homines doctissimos omnium ætatum, sectarum & religionum mirabiliter exercuit: aliis putantibus, & uirtutes & uitia in nobis ex æquo sita esse: aliis, neutra à nobis libere suscipi: aliis, uitia esse potestatis nostrę, uirtutes non item. Quo fit, ut multi uiri eruditi momentis rationum omnium in partes omnes ponderandis fessi, quid potissimùm sequerentur, non haberent. Et tamen illud uerissimum est, tantùm unum in omni re uerum esse: & plus uno uerum esse non posse. Cumq; iacere omnes de libero arbitrio sententiæ non possint, nec debeant: illa homini Christiano deligenda mihi uidetur, quę plurimùm tribuat bonitati diuinæ, qua ante orbem conditum delecti simus, in filios Dei adoptati, ac ad uitam æternam destinati. Quæ tanta sunt, ut ea nec oculis humanis uideri, nec auribus audiri, nec animo cogitari possint: nisi quantum filius Dei ille unigenitus nobis reuelauit. Placet igitur, ut iam peroremus.

Homo libertatem arbitrij sui plenam habuit ante lapsum in peccatum, ut in eius optione fuerit, & uelle & nolle tum bonum tum malum. At lapsus in peccatum, nõ quidem eam libertatem prorsus amisit: sed magnam plagam accepit, ut non pro eo ac æquum est, eo utatur. Ac in rebus quidẽ ad hanc uitam probè & honestè degendam necessarijs, nonnihil ualet illa uis mentis humanæ. In rebus uerò cœlestibus, nec capere potest quæ sunt spiritus diuini, nec uelle, nec perficere, nisi uiribus cœlestibus induta & firmata. In rebus eiusmodi & uoluntas & facultas pendet à Dei arbitrio, qui pro sua beneuolentia efficit in nobis ut uelimus ac faciamus: qui aufert à nobis cor lapideum, dat uerò cor & spiritum nouum, ut ea quæ nobis morte & redemptione filij Dei comparata sunt, consequamur. Quòd si in hisce rebus

quis

quis dicat locum esse libertati nostræ, id fortè ex ea parte uerum est, ut coactio excludatur externi impulsus. At intrà, intrà est priuatio facultatis illius ad res diuinas aspirandi. Hæc insidet in uenis ac medullis nostris: ab hac nisi filius Dei nos liberauerit, liberi esse non possumus. Omnes captiui peccati uinculis tenemur. Legem habemus in mentibus nostris uigentem, legi Dei cõtrariam. Huic paremus animis promptissimis: ad eam uiribus libertatis nostræ magnam partem ferimur. Hac libertate ad bonum uti non possumus, nisi longa assuetudine qua si uim adhibeamus naturæ nostræ. Ad res uerò diuinitùs nobis ostensas, nisi Christum induamus: per quem potestas data est ut filij Dei fierent, fidem habentes nomini eius. Neque tamen ideo minus salutem nostram cum metu & tremore agere debemus. Exercenda sunt opera, ad quæ in Christo conditi sumus, ut in eis ambulemus. *Philip. 2.* Currendum in stadio, ut præmium cõsequamur. *Eph. 2.* Subijciendum corpus, & in seruitutem redigendum, ne reprobi efficiamur. *1. Cor. 9.* Renunciandum est nobis ipsis: crux nostra tollenda: Christus sequendus, qui reliquit nobis exemplum, ut sicut ipse passus est, sic & nos patiamur. *Matth. 16.* Certè hæc omnia conatu maximo & summis certaminibus homini Christiano peragenda sunt. Ferenda omnia Christi causa, ijs qui coheredes illius uelint esse. Verumtamen sciendum, hæc nos uiribus nostris nullo modo præstare posse. Et animum, & uoluntatem, & efficiendi facultatem nisi è cœlo habeamus, frustraneum esse studium, uoluntatem, conatum & cursum nostrum, quemadmodum Augustinus sic Deum alloquendo precatur: Domine da quod iubes, & iube quod uis. Parentem igitur illum cœlestem suppliciter precemur, ut manu forti asserat nos ex uitiositate in libertatem filiorum Dei: nobisque misericordiam suam impertiat per IESVM

CHRISTVM filium suum Dominum nostrum. Amen.

CAPVT VII.

Continet apostrophen ad Ioannem Christoporinum, & enarrationem de duobus morientibus.

HAec habui Ioan. Christoporine, quæ de uitiositate cum qua nascimur, deq; libertate arbitrij nostri scriberem. Quæ ego à primo non tam alios docēdi, qui graues & copiosos scriptores rerum quas tractauimus legere possint, quàm mea ipsius causa scripsi: uerùm postea uisum est, ut hæc cum ijs communicarentur, qui longæ lectionis impatientes, hæc tanquam in parua tabula cōspicarentur. Quorum confectio magnum sanè animo meo tum mœrorem attulit, considerandis plagis multis & grauibus naturæ nostræ: tum leuationem ope Dei eregionè cōtemplanda, qui filio suo in terram misso, medicatur morbis nostris omnibus. Continere me nō possum, quin quæ duobus in hominibus moribundis uidi & audiui, in præsentia exponam. Notus tibi erat uterq;, non tantū de facie, sed ex consuetudine. Alter erat Ioannes Zalesius, Decanus Sandomirienſis: alter Ioannes Droiouius, episcopus Vuladislauiensis. Neq; ego nunc uitam resq; ab illis gestas recensebo: sed quomodo morti uicini affecti fuerint exponam. Videntur autem acriores sensus in ijs esse, qui cum morte quasi manus conserant: sensus inquam, uel iræ Dei, uel misericordiæ. Erat Zalesius homo ualetudinarius, ante mortē ferè quadriennium, de nulla re magis quàm de migrando ex hac uita solicitus. Is aliquando lecto affixus, & uitam ferè desperans, ex sensu conscientiæ uiuo de peccati magnitudine, de mortis horrore, de uita futura disserens, uoce querībunda dicebat, se nullam uim sentire sentētiæ Paulinæ illius: QVI SPIRITV DEI AGVNTVR, HI SVNT

SVNT FILII DEI. Agi oportere filios Dei, ſpiritu eius. Qui non eo agantur, eos carere illo, nec eſſe filios Dei. Iniecit tum mihi ſcrupulum Zaleſius, homo angoribus mortis correptus, homini ſecuro mortis & rerum futurarum. Dicebam tum conſolandi illius cauſa, Deum in prȷs hominibus agere quidem ſpiritu ſuo, ſed nō ſemper eodem modo. Et quemadmodum uentum quoquo uerſum flare, eiuſq; ſonitum audiri: ſed unde ueniat, & quò abeat, ignorari: ſic eſſe omnes (Chriſto ipſo autore) qui ex ſpiritu nati ſint: cuius ſonum percipiant, quid agat & quò tendat, non ſemper ſentiant. Chriſtum quoque ipſum inter homines plus annos triginta habitaſſe, ac in oculis omnium uerſatum eſſe, docuiſſe, portenta edidiſſe: at quotumquenque fuiſſe, qui eum agnouiſſet? Ipſos diſcipulos qui ab eo diſcederent nunquam, ſæpe animo & fide fluctuaſſe: alios, qui remotiores ab illius conſuetudine fuerant, nihil quàm fabri filium, illum putaſſe. non adimi ſpiritum Dei ab prȷs, in quibus habitet infirmitate uitiū. non eos qui Chriſtum induiſſent, exuere prorſus ueterem hominem cum affectibus & actionibus ſuis. Experiendam nobis hanc pugnam fluctuationum & miſeriarum à uitioſitate innata proficiſcentium, donec corruptibile hoc incorruptibilē naturam, & hoc mortale induerit immortalitatē. Et tamen pietatis hanc non minimam partem eſſe, requirere in ſe ſpiritum Dei: nec hanc affectionem ſine ſpiritu Dei exiſtere poſſe. Ipſum dicere Chriſtum, ſe pro foribus ſtare, & pulſare. nónne hunc ſtantem & pulſantem cernimus, cùm in nobis deſideriū ſpiritus Dei excitatur: ac triſtitia in nobis exoritur, ob abſentiam illius? An uerò fides quam Chriſto habemus mediatori & propitiatori noſtro, non ſpiritu agente in nobis efficitur: qua tandem & pendemus ab illo toti, & perducimur ad hæreditatem cœleſtem?

Hæc & ſimilia leuandi Zaleſij cauſa dicta à me fuêre. Ve runtamẽ angoris quo illũ affectũ cernebã aculei & ſcru puli in me relicti erãt. Percutiebatur ſæpe animus meus illa cogitatione: Hominibus qui ualetudine iniqua non conflictentur, perrarò id accidere, ut ſeriò expetant diui ni numinis afflatum. Sæpius ijs qui in extremo horrore uerſentur, eiuſmodi ſubire deſideria. Quod quidem fieri diuino ſpiritu, dubitandum non eſt. qui cùm nos ex hac uita migrare uult in illam beatam, & quaſi ex propinquo conſpiciendam præbet ciuitatẽ cœleſtem, maiore nos ſolicitudine urget ſui: per quem adoptati ſimus in numerum filiorum Dei, & ad diem liberationis conſignati. Quod quidem in Droiouio, & ipſo moribundo, multi mecum conſpexerunt. Sæpe ille morbis multis & uarijs ægrotabat, ſed podagra frequentiſsimè, quę ei omni anno aliquoties redibat. Anno tandem Chriſti 1557, ex cõuentu Varshouienſi reuerſus Volborium, cœpit ab ea uehemẽtius affligi. Acceſſerãt & morbi alij, qui ei finem tandem uitæ attulerunt. quem finem ille cupidiſsimè expectabat: quod & uerbis & omni actione frequenter teſtabatur. Erat ad extremam horam optima memoria. Itaq; & loquebatur de rebus humanis prudenter, & ſermones de uita cœleſti cum aſtantibus communicabat perquàm libenter. Inter uaria colloquia, mhil ſibi grauius eſſe dictitabat, quàm quòd liberè profeſſus non eſſet coram omnibus, quod ſentiret de uera in Deũ religione. Itaq; dextra mihi & alijs data, tanquam certæ fidei teſte, promittebat omnibus qui aderamus, ſe, ſi Deus uitam conceſsiſſet, profeſſurum fuiſſe, uel ſi in diſcrimen ueniendum foret & uitę & fortunarum. Hortabatur omnes communiter ad precationes: quas qui aderamus, genibus flexis uel cantabamus, uel uno aliquo præeunte omnes ſubſequebamur unà cum illo. Appe-

tente

tente hora mortis, inter preces circunſtantium cœpit os aperire quantum poterat maximè: ita ut efflare animam uelle uideretur. Sed poſtea uiribus collectis, ad aſtantes oculis conuerſis: Hei, inquit, non poſſum adhuc extremum edere ſpiritum. Tum de frigore pedum querebatur. Dubcouium ex cubicularijs unum flentem conſpicatus: Ne, inquit, fleto: non morior, ad patrem uado. Deinde Andream Iactorouium nominatim appellauit: Vbi, inquit, es Iactoroui? Ora pro me patrẽ cœleſtẽ, ut me iam ad ſe recipiat. Erat porrò Iactorouius illi ex domeſticis unus, quem fratris loco habebat: cumq; eo cùm de rebus alijs, tum de religionis doctrina omnia communicabat. Præibat igitur Iactorouius prece Dominica pronuncianda: alij omnes unà cum epiſcopo ſubſequebantur. Interea epiſcopus iterum os aperire ca laxitate, ut maiore non poſſet. Tum Stanislaus Droiouius, frater eius, confirmare hominem miſericordia Dei commemoranda, atq; articulis religionis noſtræ omnibus ex ordine recenſendis. Epiſcopus uerò ore iterum cõtracto, reuerſus ad ſe, audiendis articulis fidei noſtræ mirificè recreabatur: ad ſingulosq; manibus in cœlum protenſis, clarè reſpondebat, ſe ita ut dicebatur credere. Vbi finiuit hanc fidei in Deum ſuæ confeſsionem, ego orationem Dominicam iterum clara uoce repetebam. Miſericordiam Dei immenſam exemplis Magdalenæ, Petri, latronis dextri & aliorum ſanctorum inculcabam: uitæ quoq; cœleſtis deſiderium, eorum qui cum capite noſtro Chriſto regnarent commemoratione excitabam, uerba illa ſubinde iterando: In manus tuas Domine cõmendamus hunc hominem. At epiſcopus os tertiò aperire, ſed minore laxitate quàm prius. Tum ei manus, quas extentas porrigebat ad cœlum, tremebundæ conciderunt: ipſeq; os paulatim contrahere. Poſtremùm

grauissimo ducto suspirio, animam expirauit. Progressus sum longius describendis ijs quę in Zalesio Decano & Droiouio Episcopo uidi & audiui. Digna enim mihi omnia uidentur, quæ exempli causa ab ijs cõsiderentur qui piè uiuere pieq; mori appetunt. Vterq; erat in sacris literis uersatus: sed Zalesius longè excellentius, qui hãc sibi professionem unicè delegerat. In utroq; confessionem illam fidei nostræ in Deum apertam & simplicem desiderabant Ecclesiæ Dei. Zalesium morientem non uidi. Sed cum quadriennium ferè ita spiritũ duceret, ut in horas mortem expectaret, aliquoties illum in terroribus fuisse animaduerti, non secus quàm uita hæc illi euestigiò deserenda fuisset. Querela uerò illa de diuini spiritus absentia tantis cum suspirijs ab illo fiebat, ut non ab alio quàm à spiritu ipso excitatam cerneres. Droiouij uita in rebus profanis ferè uersata est. Et erat quidem ille in Reipublicæ muneribus obeundis splendidus & magnificus: sed hoc nihil ad Ecclesiam. Ad episcopatus, quos gessit, magis ex Aulæ gratijs peruenit, quàm ut uel à clero electus esset, uel à plebe expetitus. A' tenuiore episcopatu ad ditiorem transiuit non operis causa, ut apparebat, sed opum & dignitatis ampliorís. Itaque haud scio an munus episcopi uerum unquam attigerit. Semel fortasse ac iterum in templo docuit publicè. Quod non secus fecit, quàm si quis artem aliquam professus, bis tantùm in uita sua opus eius exerceret. Erat tamen hominum doctorũ perstudiosus, cum quibus sermones libenter conferebat. Multa in doctrina & ritibus ecclesiæ desiderabat: palam'que querebatur de calice plebi erepto. & de uxoribus presbyteris ademptis, deq; Papæ imperio immoderato. Populus ei subditus requirebat in eo imperium moderatius: alij alia in eo desiderabant. Mandauerat me solicitante, aliquot diebus

bus ante mortem, nonnullis obire pagos agrorum suorum uicinos: & de colonis scisciтari, nũ quas iniurias ab ipso habuissent: ipsum omnia resarcire cupere. Quod uti nam feciſset bona ualetudine. Sed ferè fit, ut nisi nos tangat ira Dei, ſecuri uiuamus, uel in concursu uiciorum omnium. Quid quæris? Ego opera lege præcepta cum uita Droſonij (quantum quidem mihi nota esse poterat: nam de rebus occultis nihil iudicare possum) conferendo, non minus de eius salute æterna, quàm de mea ipsius (in eodem enim luto uersor, ut ille) desperare coactus essem. Sed apparuit in eo indicenda benignitas Seruatoris nostri IESV CHRISTI. Apparuit peccato ipsius abundante, gratia Dei superabundans. Fœlix igitur ille, cui talis contigit migratio in uera agnitione peccati, in uera religionis confeſsione, in uera inuocatione IESV CHRISTI filij Dei. Non ille agmina diuorum quærebat, qui pro ſe Deum orarent. Contentus erat precibus uiuorum astantium, cum quibus rectà ad thronum gratiæ Christi ſe conferebat. Christus erat ei mediator, Christus aduocatus ad Deum patrem, Christus propitiator, redemptor, ſeruator, uitæ largitor. Christi unius meritis confisus, patrem cõfidenter appellabat: patriamq; cœleſtẽ oculis, ore, uultu, manuũ extenſione requirebat. Et uerbis, & omni geſtu ſignificabat ſe huius mundi pertęſum fuiſſe: ſeq; patriã aliam longè potiorem deſiderare: in qua eum cũ Deo patre eiusq; filio regnare credamus. Ipſumq; Deum ſupplices rogemus, ut cũ hora noſtra aduenerit, recipiat nos in æterna illa tabernacula, in quib. uiuamus cũ capite noſtro IESV CHRISTO, ac Spiritu ſancto, cunctaq; eccleſia cœleſti. Quod quidẽ nõ deſperamus facturũ optimũ parentẽ, ſi nos agat ſpiritu ſuo: fidẽ in nobis excitet per charitatẽ agentẽ: utriuſq; uerò & fidei imbecillitatẽ, & charitatis imperfectionem

ſuppleat

sua benignitate. Nos uerò spiritu acti Dei, hoc agamus, ut ne in nobis regnet peccatum, quemadmodum loquitur Paulus: ut si in hac mortalitate eo carere non possimus, tamen ne illud uigeat exercendo regnum suum. Fugiendæ sunt igitur occasiones peccatorum. Genera uitæ relinquenda, in quibus uitia de facili concipiantur, & concepta ferendis fructibus in procliue ferantur, nec se sustinere ullo modo possint. Eligendum autem hoc uitę genus, quod nos quàm fieri potest maximè tutos reddat à prolapsionibus.

Hanc si gratiam nobis de cœlo datam senserimus, optemus ut nos amplioribus gratijs prosequatur Pater benignissimus: ut & conatum boni operis in nobis excitet, & uoluntatem amplectendi dona cœlestia inserat, & uires efficiendi quod uelit suggerat. Oremus eum quotidie, ut det quæ iubet: iubeat, quæ uelit: atque in hoc stadio, quod ad uitam æternam cõtendentibus decurrendum est, nos firmos, constantes & stabiles faciat, ut possimus

——Optatam cursu contingere metam.

Ita omnia Dei bonitati tribuemus, & initium & medium, & finem, progressionesq; omnes & perfectiones
Tit. 2. bonorum operum. Hoc agentibus illucesceret dies ille, cùm iustus iudex dona sua coronabit in nobis: reddetq; mercedem omnibus qui expectant glorioſum aduentum magni Dei & seruatoris nostri IESV CHRISTI: qui seipsum pro nobis dedidit, quò nos ab omni scelere
Tit. 3. uendicaret, & sibi peculiarem populum purgaret rectè factorum cupidum. Discamus igitur rectè facta obire, ne simus infructuosi. Hæc enim sunt Pauli uerba, quæ uir sanctissimus scripsit ad Titum suum.

Sed iam sentio longius scriptionem nostram prouectam esse, quàm mihi institutũ fuerat. Verùm argumenti susce-

ti ſuſcepti diligens expenſio & examen (quale quidem à nobis præſtari poterat) fecit me neſcio quo modo in ſcribendo longiorem. Quod te boni conſulturum confido: alios quoq; qui hæc cognoſcere uolent, non dubito. Tibi autem, mi frater, qui ſtudijs noſtris unicè faues, hoc quicquid eſt ſcripti peculiariter dicare uiſum eſt: nõ ut ex me cognoſcas, quę tibi & in philoſophia & in Chriſtiana doctrina exercitato, ſunt notiſsima: ſed cùm aliquam librorum meorum partem tibi deſtinaſſem, uolui ut apud eos quibus minimè noti ſumus, hoc quaſi teſtimoniũ extaret neceſsitudinis ac beneuolentiæ mutuæ noſtræ. Quam quidem inter nos eſſe mirificè gaudeo: ſperans fore, ut & tu eam mihi pro tua præſtanti uirtute integram & conſtantem præſtes: & ego tecum mutuum faciam, ſi non pari effectu (uix enim hoc facultati conceditur noſtræ) at certè, quod tibi uerè polliceri habeo, pari affectu. Quo quidem te, hominem ab omni re animi, corporis & fortunæ paratum, contentum eſſe non dubito. Vale,

Volborio: 1561. die 4. Februarij.

ANDREAE FRICII MODREVII, DE PROVIDENTIA ET PRAEDESTINATIONE DEI AETERNA LIBER, ad STANISLAVM POTICANIVM amicum ueterem.

ONDOSSVM TEMPORIS PRAEteriti ac uitæ meæ anteactæ meminisse, Staniſlae Poticani, quin ſimul memoriam repetam temporum tuorum: rerumque earum quæ ſubinde uel tibi ſeorſim, uel utrique noſtrûm, communiter euenerunt. Nam & amicicia inter nos uetuſta eſt, & multa in me merita tua ſemper extiterunt: nec maior mihi communicatio ſermonum, conſiliorum & rerum omnium cum aliquo, atq; tecum unquam fuit. Et domi & in caſtris uiximus coniunctiſſimè: caſibus uarijs iactati ſumus, res plurimas unà geſſimus. Quarum cùm multas tibi ſæpe in mentem uenire non dubitem: tum illius itineris nollem te unquam obliuiſci, cùm ambo unà iremus Cracouiam, tum temporis peſte miſerè afflictam. Agebatur tum annus Chriſti 1543. Veneramus igitur Cracouiam ſalui. Res illic geſſimus ex ſententia. Vidimus tum non tantùm domibus efferri multos feretris, ſed & aliquot in plateis ſubitò cadentes mori. Et tamen quaſi ſecuri mortis, contra cuius metum præſentibus neſcio quibus pharmacis probè nobis muniti uidebamur, non prius illinc quàm rebus confectis diſceſſimus. Et diſceſſimus quidem ſalui & incolumes. Graſſabatur tum peſtis non Cracouiæ tantùm, ſed (ut fit) in uicinis locis. Per quæ cùm nobis iter faciendum eſſet, meminiſti cùm in pago agri Proſchouienſis nocte quieſceremus, quàm tuta illic et ſana omnia eſſent? paterfamilias diuerſorij cum uxore & omni familia, quàm erant incolumes? In quod quidem diuerſorium cùm redeundo, nocte

iam

iam profunda ingrederemur, hypocauſtumque calefactum (erat enim frigus) intraremus, depoſitis ſarcinulis veſtes exuimus: cœnam nobis parari, ac deinde lectos ſterni iuſſimus. Cumque matremfamiliâs non uideremus, eamque in cubiculo dormire ſuſpicaremur, iniecit quiſpiam mentionem mortis eius ſubitæ, & duarum ancillarum quæ peſte cum illa interiiſſent. Nos rei nouitate perculſi & planè attoniti ſumus, nec quid agendum eſſet ſciebamus. Nocte enim intempeſta mutare diuerſorium parum licebat. Et ſi mutaſſemus, in periculo nos uerſari intelligebamus. Vnde enim contagium præſentius, quã ex hypocauſtis probè calefactis? quale tum illud erat: in quo, priuſquam mortes illas reſciſſemus, ferè duas horas quieueramus. Expoſtulabamus cum patrefamiliâs ac eius domeſticis, cur tam diu rem celaſſent? cur ingreſſu nos non potius prohibuerint hoſpitij infecti? Sed ecce infans puer in cunis uagiens, Anaſtaſiæ (id enim nomẽ erat matrisfamiliâs defunctæ) ſuperſtes. Ex eo domeſtici ſic ad nos: Hic puer (inquiunt) eodem in lecto cubabat cum matre, & ubera eius ſugebat eodem ferè temporis momento, quo illa nec opinato extincta eſt. Nónne ſenſimus Poricani, hac uoce reſtitutos nobis fuiſſe animos? Ita illud præſens remedium diuinitùs nobis oblatum interpretabamur: quod non tantùm pauorem conceptum depelleret, ſed mirificam nobis conſolationem afferret. Quid, inquiebamus, contagioni magis obnoxium, quàm ætas imbecilla? Infans ille erat trium quatuorue menſium. Vnde autem hoc genus morbi citius contrahitur, quàm ex ueſtibus? Cùm matre moriente in lecto erat, peſtilentia pleno. Sed unde certius hauritur, quàm ex cibo, potúue? Suxit ex mammis matris lac peſtiferum. Concludebamus tandem peſtem eſſe tanquam ſtragem horrendam quidem illam, qua innumera hominum multitudo ſubitò cadat: uerumtamen neminem ea perire, niſi quem Deus uelit. O fictricem & moderatricem rerum omnium Dei prouidentiam: quæ & uitæ hominum terminos certos conſtituis: & mortes quando uis, & ubi uis, aliis maturas, aliis tardas decernis. Quorſum igitur fugæ

mortalium, & formidines nimiæ? Nónne puer Anastasianus seruatus est in ipsa peste, non secus quàm tres uiri illi, de quibus Daniel uates scripsit, in fornace ardente seruati sunt? Neque ego dico pestem non fugiendam esse homini ratione prædito, qui morbos & causas eorum uitare debeat: sed tamen si quis per imprudentiam in pestiferum aerem incidat, ut ne animum deijciat: in Deum potius intueatur, qui & pestem immittat ob peccata hominum: & eos tantùm illa perdat, quos uult. quos non uult, illis nocere nihil potest, uel si pestiferum quid bibissent. Quoniam autem, quæ de diuina prouidentia toto illo itinere, posteaq; sæpe inter nos collocuti sumus, conscripsi, & in certum ordinem redegi, ea tibi cum hac inscriptione peculiariter dare uolui: ut ea legens, mutua colloquia nostra recognoscas: (quæ talia ferè sunt, ut nihil in rebus mortalium accidere posse censeamus, quod non à Deo prius decretum esset) simulq; amicitiam nostram diuino muneri unà mecum adscribere ne dubites. Itaq; Deo immortali gratias immortales agamus, qui amicitiam à primis ferè iuuentutis nostræ annis cœptam, ad hunc usq; diem nos sanctissimè colere uoluerit: utque eandem ad extremum uitæ diem integram, & post hanc uitam in altera sempiternam nobis faciat, id uerò supplices ab eius bonitate deprecemur. Quod nobis largiatur Deus pater in filio suo per spiritum sanctum suum: Amen. Vale cum fratre Laurentio Volborio, Anno Christi 1562. die 10. Ianuarij.

PRAE-

PRAEFATIO.

VLTIS ET MAGNIS SVDORIbus constitit mihi quæstio de uiribus naturæ nostræ, annis superioribus à me elaborata. Quæ quanti alijs fiat, haud magno in discrimine pono. Mihi quidem tantum commodi attulit confectio, ut fontes ipsos aperuerit, ex quibus profluxerunt causæ innumeræ quæ hac tempestate uersantur in disceptatione. Nunquam igitur pro dignitate laudari potest exercitatio styli: sub cuius acumen omnia subeant necesse est, quæ uel legendo, uel meditando nos fugerunt. Si enim (inquit Romanus Orator) subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè uincit: hanc ipsam profectò assidua & diligens scriptura superabit. Neq; uerò arrogantiæ crimen extimescendum mihi puto, qui in tot scriptorum numero ea scriptis prosequor, quæ alij magna cum copia & elegantia sunt persequuti. Studium enim rei, cui incumbo, cognoscendæ à fundamentis, ac perspiciendi quid ei insitum & infixum, quid item adiunctum & asciticium sit, ad scribendum me impellit: non ulla cupiditas uel certandi cũ bonis scriptoribus, uel efferendi nominis mei. Quorum illud non omnino uituperandum esset, nisi uirium nostrarum exilitatem haberemus perspectam: hoc expetendum non est homini, qui profiteatur se non sua in medium proferre, sed ex aliorum fontibus suos riuulos deducere. Quòd si cui minus assecuti uidemur scribendo quàm necesse erat: sciat, nos multo minus assequuturos fuisse sola lectione aut meditatione. Neq; enim sumus eo ingenio, ut tacitam unius argumenti cogitationem perpetuare possimus. Nisi uel scri-

ptio uel attentior lectio retineat agitationem mentis no ſtræ, uagatur facilè hinc inde, nec rei inſtitutæ diu inſiſtit. ad quamuis aliam priore non ſatis examinata, leuiſſimo momento tranſit: eadem illis incõſtantia hærens, atque in priore. Ferunt neſcio quem in iurgio Demoſtheni obieciſſe, quòd non niſi ſcriptas domi in Senatu & iudicio diceret ſententias. Demoſthenemq; reſpondiſſe: nõ tantùm in charta ſcriptas, ſed & ſaxo prius inciſas ſe, ſi fieri poſſet, dicere uehementer optare. Præclarum reſponſum, docto homine & prudente oratore dignum: quod declarat eũ multum ſtudij & curæ in ſtylo poſuiſſe, nec quicquam ad remp. afferre ſolitum eſſe, niſi quod accuratè & cogitatè prius conſcripſiſſet. Quòd ſi id hominibus magna cum re & ingenij & doctrinæ atq; exercitationis ſine iuſta reprehenſione licuit: quanto id magis concedi nobis par eſt, qui omnibus illis dotibus malignè ſanè præditi ſimus: præclareq; agi nobiſcum putemus, ſi quæ ab alijs prodita ſunt, eorum aliquem intellectum capere poſsimus? Igitur quæſtione de uiribus naturæ noſtræ elucubrata, quæſtionẽ de diuina prouidentia & prædeſtinatione explicare ingrediamur: rem utiq; priore illa maiorem, & haud ſcio an omnium longè maximam. Priore enim quæſtione de ijs egimus quæ inhærent in neruis noſtris, & quæ uel ſine teſtimonijs diuinis nobis innata eſſe cognoſcimus. Nunc ſcrutanda eſt uoluntas diuina, & eius de uniuſcuiuſque hominum uita ac interitu decreta æterna indaganda. Verumtamen non ea nobis mens eſt, ut penetremus introrſus ad contemplationem ſecretorum maieſtatis diuinæ. In ijs tantùm uerſabimur, quæ in teſtimonijs & oraculis diuinis conſpici poſsint. Quæ ſi cui obſcuriora uidebuntur, adhibebimus diuinos enarratores, Thomam Aquinatem & Aurelium Auguſtinum: quibus ut in prioribus

bus quæstionibus, ita & in hac secundum sanctas Dei Scripturas, totum tribuemus. Dabimus autem operam, ut opiniones Theologorum de Prædestinatione discrepantes tollamus, certamq; constituamus sententiam cum uocibus cœlestibus, & doctorum hominum testimonijs congruentem. Rem igitur ipsam aggrediamur.

CAPVT I.

An doctrina de prouidentia & prædestinatione diuina sit in Ecclesia necessaria.

SVnt nonnulli in ea sententia, non debere doctrinam prouidentiæ ac prædestinationis diuinę tradi uulgò in ecclesijs: utpote qua pauci reddantur meliores, quàm plurimi autem segniores, aut prorsus ignaui ad omne uirtutis exercitium. Sic enim ratiocinantur: Si Dei prouidentia ac destinatione fiunt omnia, frustra uel consilia iniri de futuris, uel labores suscipi quarumcunq; rerum causa: quòd Dei decreta sint omnino immutabilia: quòd nullo uel consilio, uel opere humano impediri possint, quæ Deus prudentissimus & potentissimus constituerit. Etsi autē huiusmodi ratiocinationibus dissoluendis infrà erit cōmodior locus: nunc tamen initio huius tractationis aliquid dicendum est, idq; de sententia Augustini: qui etsi nominatim de prædestinatione loquatur, omnia tamen & de prouidentia intelligenda sunt. Sic igitur ille in lib. de bono perseu. c. 14. ad uerbum: Prædestinationis, inquit, definitionē aiūt utilitati prædicationis aduersam esse. Quasi uerò aduersata sit Apostolo prædicanti. Nónne ille doctor Gentium prædestinationē toties cōmendauit, & uerbū Dei prædicare non destitit? Nunquid, quia dixit, Deus est qui operatur in nobis & uelle & perficere: ideo non & ipse ut uelimus quæ Deo placent,

placẽt,& ut operemur,hortatus est. An qa dixerat: Qui cœpit in uobis opus bonũ,perficiet: ideo ut inciperent homines,& perseuerarẽt usq; ad finẽ, nõ suasit? Nempe ipse Dñs præcepit hominibus,ut in se crederent:neque tamen falsa eius sententia est,nec uana definitio, ubi ait: Nemo uenit ad me, hoc est nemo credit in me, nisi cui datum fuerit à patre meo. neq; rursus quia uera est definitio, uana est illa præceptio. Cur ergo prædicationi, exhortationi, correctioni, quæ omnia tam frequenter usurpat Scriptura, existimemus inutilem esse definitionem prædestinationis, quam commendat eadem Scriptura? Paulò pòst: Audiunt hæc,& faciunt,quibus datum est: non autem faciunt, siue audiant, siue non audiant, quibus non est datum. Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseuerantis & perficientis,ut quod oportet audiant, & quibus datum est obediant. Quomodo enim audient sine prædicante? Neque rursus prædicatione fidei perficientis & in finem usque perseuerantis impedienda est prædicatio prædestinationis: ut qui fideliter & obedienter uiuit, non de ipsa obedientia tanquam de suo,sed in Domino glorietur. Itẽ,sicut is qui donum accepit,rectè exhortatur & prædicat:ita exhortantẽ & prædicantem obedienter audit,qui accepit hoc donũ.Ideò Dominus: Qui habet aures audiendi,audiat. A' quo autẽ habeant, quicunq; habent,Dñs ipse ostendit: Dabo uobis cor cognoscendi me, & aures audientes. Ergo aures audiendi ipsum,est donum obediendi:ut qui id haberẽt,uenirent ad eum,ad quem nemo uenit nisi fuerit ei datum à patre ipsius. Exhortamur ergo,atq; prædicamus: sed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui uerò non habent,fit in eis quod scriptum est, ut audientes nõ audiant: audientes uidelicet corporis sensu, nõ audiunt cordis

cordis assensu. Cur autem illi habeant, illi non: hoc est, cur illis datum sit à patre ut ueniant ad filium, illis non sit datum, quis cognouit sensum Domini? Nunquid ideo negandum est, quod apertum est: quia comprehendi non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, ita non esse: quoniam cur ita sit, non possumus inuenire? Prosequitur Augustinus idem argumentum cap. 15. & 16. libri eiusdem, & deinde cap. 20. Quamobrem (inquit) si Apostoli & qui eos sequuti sunt ecclesiæ doctores, utrunq; fecerunt, ut & de æterna Dei electione piè disserent, & sub piæ uitæ disciplina continerent fideles: quid est quod inuicta concluſi uiolentia ueritatis isti nostri se rectè dicere existimant, non esse populo prædicandum, etsi uerum sit quod de prædestinatione dicitur? Imò prædicandum est prorsus, ut qui habet aures audiendi audiat. Quis autem habet, si non acceperit ab eo qui se daturum promisit? Certè qui non accipit, reiiciat: dum tamen qui capit, sumat & bibat, bibat & uiuat. Sicut enim prædicanda est pietas ut ritè colatur Deus, ita & prædestinatio: ut qui habet aures audiendi, de gratia Dei in Deo, non in se glorietur. Prudentiam tamen adhibendam esse in docenda prædestinatione, admonet eodem in libro, capite 22. ita ut uel ignauiæ uel malitiæ ac desperationi occasio præbeatur. nam si quis ita plebem compellat: Qui non obeditis, & qui obeditis si prędestinati estis reiiciendi, subtrahentur uobis uires obediendi, ut obedire cessetis. Hoc inquit, dicere quid uidetur esse aliud, quàm maledicere, aut mala quodammodo prophetare? Etsi enim illud est uerissimum: tamen fit improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falsò eloquio, sed non salubriter ualetudini humanæ infirmitatis apposito. Tales conciones cũ sint

admodum intempestiuæ, nullo modo usurpandæ sunt in ecclesia Dei. Et hæc quidem de sententia Augustini dicta sint: de quibus & nos suo loco disseremus. Nunc quidem illud dicere sufficiat, & fas & opus esse id doceri, quod cœlestis magister eiusq; discipuli docendum putauerunt. Christus petentibus honores discipulis respõdet, Non suum esse, ut id cuiquam concedat: sed patris, qui det cui uelit, & quando uelit. Idem clamat: Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam uos. Et tamen ex altera parte clamat, neminem ad se uenire, nisi qui à patre fuerit tractus, & qui sibi datus sit à patre: eorum se tantùm curam habere, eorum fidum custodem esse, ut nemo pereat. Paulus maximorum arcanorum conscius, quàm sæpe de Dei hominum æterna praedestinatione concionatur? Quòd cùm alias facit, tum scribẽs ad Romanos adhuc in fide rudes & nouitios. Inde certitudo electionis nostræ constat, cùm scimus nos prius ad uitam æternam destinatos esse, quàm in hanc lucem editi sumus. Humilitas quoq; inde discitur, cùm audimus nos naturâ filios iræ, benignitate æterni patris in filios cooptatos, ac hæredes cœlestis uitæ factos: propterea q; nec in nobis, nec in ullo homine spem salutis collocemus, sed in solo Deo, & quem ille misit IESV CHRISTO. Bonitas uerò Dei erga nos admirabilis unde magis cognoscitur, quàm cùm persuasum habemus, curam illi nostri fuisse prius quàm iacerentur fundamenta terræ? Hæc sunt quæ ex doctrina de prædestinatione petenda sunt. Multa quidem scio obstrepi clamore multorum, hanc doctrinam tanquam inutilem ac prorsus noxiam infamantium: quæ nos infrà amoliri studebimus. Et certè si quis arcana diuina perscrutari uelit, nihil est periculosius. At si quis intra fines in sanctis literis præfixos se contineat, omnino hæc doctrina est saluberrima.

Nemo

Nemo enim prædestinatus est ut uitam transigat ociosus, multo minus ut agat quippiam scelerate: sed ut misericordiam sibi à Deo gratis impartitam sentiat, ut se imagini filij Dei conformandum esse cognoscat, ut sibi in operibus Deo placentibus ambulandum esse statuat, ut de Dei erga se beneuolentia firmam & cõstantem spem concipiat. Hæc enim omnia prædestinatio complectitur: quæ non tantùm finis est, sed & mediorum ad finem ordinatorum. Itaq; seu rebus aduersis iactamur, seu fidem nostram afflictionibus labefactari sentimus, hac nos doctrina sustentemus: nobis tandem opitulaturum patrem, ac nos ex periculis liberaturum. Sic enim Paulus: Si Deus (inquit) pro nobis, quis contra nos? Quis nos separabit à charitate Dei? Tribulatio, an angustia? & quæ sequuntur. Dauid in fuga illa à filio Absalone, cũ & calamitatibus opprimeretur, & conuicijs Semeis incesseretur, solatur se hac cognitione, quod id sciret sibi accidisse non sine consilio & uoluntate Dei. Ideò dicit: Obmutui, & nõ aperui os meũ, quia tu fecisti. Quòd aũt homini in huiusmodi afflictionibus remediũ potest esse præsentius, q̃; secũ reputare, ne unum quidem capillum ex suo capite decidere posse, sine illius uolũtate, quẽ patrẽ agnoscit: qui se inuocari iussit in tempore difficili & calamitoso? Et eripiã, inquit, te: tu uerò honorabis me. Psal. 39.

Neq; tamen putandum est, finem huius doctrinæ esse, ut qui prædestinatus non sit, transferatur in numerũ prædestinatorum: hoc enim fieri non potest: Sed ut qui ad uitam destinati sunt, ministerio uerbi ad hunc finem perducantur. Neq; uerò metuendum, ne quis ex hac doctrina occasionem sumat desperandi salutem suam: à qua desperatione procul abesset, ignorata hac ipsa doctrina. Nam qui impij sunt, illi uel hæc Dei consilia contemnunt, uel in se amplam habent materiam desperan-

di. Pij uerò cùm spiritu Dei agantur, spem etiam haud dubiam concipiunt salutis suæ. Estq; eis hæc doctrina salutaris, eorumq; causa minimè tacenda. Omnis doctrina Euangelij reticenda esset, si impiorum ex hac parte ratio haberetur: scilicet quibus est mortalis odor ad mor-
2. Cor. 2. tem, quemadmodũ pijs est uitalis odor ad uitam. Atqui Paulus præconum Euangelij nomine gratias agit Deo: Qui, inquit, semper facit, ut in Christi negotio triumphemus, eiusq; cognitionis odorem per nos diuulgat omnibus in locis. Sapienter Epictetus, unamquamq; rem ait habere ansam suam: qua si apprehendatur, optimum & dexterrimum fore eius usum. Si prædestinatione meditanda commoda spectentur quæ ex ea proueniant, saluberrima est eius cognitio. Ad ea igitur animus est referendus, non ad ea quæ perniciem adferre possint. Nulli sunt grauiores authores, quos sequi Christianum hominem magis conueniat, atq; illi ipsi qui nobis cœlestia arcana enunciarunt. Quantumuis igitur quidam meticulosi magis quàm docti homines, ab hac materia prouidentiæ ac prædestinationis diuinæ abstinendum censeant: nos tamen quod Christus & Apostoli docuerunt, discere non uereamur: ac quod instituimus, Deo duce prosequamur.

CAPUT II.

Prouidentia Dei quid? & an ea mundus iste & omnes partes eius gubernentur.

TRes sunt partes, ut philosophi prodiderunt, pru-
Cic. lib. de Inuent. 2. dentiæ: memoria, intelligentia, & prouidentia. Me-
Auguſt. 83. q. 31. moria animus repetit ea quæ fuerunt: intelligentia perspicit præsentia: prouidentia uidet futura, antequam eueniant. Atque hoc modo prouidentia non est aliud, quàm præscientia rei antequàm facta sit. Verùm aliàs proui-

prouidentiam intelligunt, non simplicem rerum futurarum & posteri temporis prouisionem: sed gubernationem & administrationem rerum tum præsentium, tum futurarum. Quo quidem modo nobis prouidentia in hac tractatione usurpabitur. Sic enim & à Salomone usurpatur, cùm in libro Sapientiæ sic alloquitur Deum: Tu autem, pater, prouidentia cũcta ab initio gubernas: quoniam dedisti & mari uiam, & inter fluctus semitam firmissimam, ostendens quàm potens es ex omnibus sanare, etiam si sine rate aliquis adeat mare. Non tantùm autem Theologi, sed philosophorum nobilissimi quique docent, Dei prouidentia, hoc est gubernatione mundũ, & omnes mundi partes, & initio constitutas esse, & omni tempore administrari ac conseruari. Tanta enim est rerum immensitas, tam pulchra earum digestio, tam mira in uicissitudinibus & uarietatibus earum constantia, ut nec principio sine perito opifice in hanc speciẽ prodire, nec tanto tempore in hoc flore sine sciente gubernatore durare potuerit: nec deinceps sine certo conseruatore constare possit, ac in hac æquabilitate conseruari. Quod qui secus arbitrantur, hi uelim considerent, qualis species esset domus sine patrefamiliâs, aut ciuitatis sine rectore, aut nauis in alto fluitantis sine clauo & gubernatore, aut denique hominis sine ratione in quo solæ regnarent affectiones. Et tamen nihil horum tam coniunctum est cum re quam gubernat, atque Deus coniunctus est cum rebus conditis. Sicut Paulus docuit in disputatione quam Athenis cum philosophis habuit: Deus, inquit, omnibus uitam, halitum, omnia denique confert: nec longè abest ab unoquoque nostrûm: per ipsum enim uiuimus, mouemur & sumus, ut quidam etiam Poetarum dixerunt. Nam genus illius sumus. Et in epistola ad Hebræos dicit, Deum moderari omnia uerbo po-

Sap.14.

Act.17.

Hebr.1.

Iob.9. bo potentiæ ſuæ. Et Iobus totum mundum nutu atq; arbitrio Dei gubernari docet his uerbis: Qui montes ex improuiſo transfert, eos iratus euertẽs: terram ex ſua ſede conuellit, concuſſis eius columnis. Eo iubente non oritur Phœbus, ſidera obſignat. Solus exporrexit cœlũ, & maris alta perruadit. Quòd ſi Deo opt. max. curæ ſunt res omnes ab ipſo cõditæ, ſi eas omnes prudentia, bonitate & poteſtate ſua regit & gubernat: quanto magis hominem, qui ſit progenies eius, ut Paulus ex Poetis profanis refert: uel (ut Moſes) qui imaginem eius & ſimilitudinem in terris gerat? In ipſo enim (ut ex Paulo diximus)
Matth.6. uiuimus, mouemur & ſumus. Pluris illi ſumus quàm lilia agri, & uolucres aereæ: quæ & ueſtiuntur, & ſumma be-
Matth.10. nignitate curantur à patre cœleſti. Nónne duo paſſerculi (inquit Chriſtus) minuto aſſe uenæũt? & unus illorum nõ cadet in terrã ſine patris uoluntate. at uos pluris eſtis q̃ multi paſſerculi. Et alio in loco: Conſiderate, inquit, lilia agri, ut creſcant, neq; laborando, neq; nendo. Ad florum pulchritudinẽ conſiderandam nos excitat. Qualis illorũ forma: quàm pulchrè erumpant, adoleſcant & uiuant: quàm nihil opere humano uel pictũ, uel textum cũ illorum pulchritudine conferri poſsit: adeò ut nullus regum, ac nec Salomon quidem ipſe cum omni ſplendore ſuo, ita ueſtitus fuerit, ut illorum quodlibet. Ecquis artifex cogitari poteſt, à quo hæc talia opera non diu durantia omni anno fiãt, quàm Deus? Quòd ſi terreſtrem herbam (quę hodie eſt, & cras in clibanum cõijcitur) Deus ſic ueſtit: nónne multo magis humanum genus? Si ea paſcit quæ nec ſerunt, nec metunt, nec texunt, nec nent: ánnõ meritò curã in illũ alendi noſtri reijciemus? Quid autem magis ad prouidentiæ diuinæ certitudinem nos
Matth.10. erigat, quàm cùm dicit Chriſtus: capillos noſtri capitis numeratos eſſe, ac ne unum quidem de capite caſurum,

ſine

sine uoluntate patris? & cùm sic interrogat: Quis uestrûm sua solicitudine potest unum cubitum addere suæ staturæ? Et cùm negat quenquam posse uel unum crinẽ album nigrúmue facere. Itaq; filiorum Zebedæi honorum petitionem tanquam uanam & intempestiuam cõpescit: negans suum esse, ut cuiquam concedat in regno suo locum dextrum sinistrúmue. Patris sui id esse, qui locum cuiq; designauerit, quem sit illi suo tempore concessurus. Planè docemur, & honores & cursum totius uitæ nostræ Deo committendum esse: quo nolente, ne minimam quidem rem nostra solicitudine efficere quea mus: uolente uerò, omnia consequamur. Nam de capillorum etiam nostrorum integritate securitatem nobis dedit. Sed & ortum nostri, & mortem, & totius uitæ longitudinem soli Deo transcribendam esse affirmat Iobus his uerbis: Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est. constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et Moses: Ipse est, inquit, uita tua, & longitudo dierum tuorum. Ipse quoque Deus præsentiam suam omni in loco testatur, Hieremia referente his uerbis: Nunquid non cœlum & terram ego impleo? Quam præsentiam alius Propheta ad homines transferens, aspectu Dei expresit, sic inquiens: In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Huius præsentiæ, & huius aspectus, effectus est in pijs quidem cõseruatio & protectio illorum: in impijs, prẽditio. Sic enim alius Propheta: Oculi Domini super timentes eũ, & in eis qui sperant super misericordiam eius: ut eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Et: Vultus Domini super faciẽtes mala, ut perdat de terra memoriã eorũ. Sed & calamitates omnis generis à Deo hominib. immitti propter peccata cùm multis testimonijs, tum clarissimè inde docemur, quòd nunciantibus quibusdam Christo

Matth. 16.

Matth. 20.

Iob. 14.

Deut. 30.

Hier. 23.

Prouerb. 15.

Psal. 32.

Psal. 33.

Christo de Galilæis, quorũ sanguinem Pilatus cũ eorum sacrificijs miscuisset, respondit Christus his uerbis: An putatis Galilæos illos omnium fuisse Galilæorum improbissimos, quòd talia passi sunt? Nequaquã inquam uobis: sed uos nisi ad frugem redieritis, omnes similiter peribitis. Item illos duodeuiginti, quos delapsa turris in Siloa interfecit, an putatis fuisse omnium Hierosolymitanorum nocentissimos? Nequaquam inquam uobis: sed uos nisi ad frugem redieritis, omnes simul peribitis. Hæc scripsit Lucas in libro Euangelij sui, cap. 13. Multi igitur & Galilæorum & Hierosolymitanorum fuerunt nocentissimi: & tamen illorum pauci, istorum octodecem tantùm tũc perierunt. Idem obseruari licet in idololatria illa ad aureum uitulum à Iudæis facta: quorum circiter tria millia à Mose, Dei iussu, occisa esse memorantur Exod. 32. cùm tamẽ multò plures eadem in culpa fuerint. Quid ita? Nónne qui eorundem peccatorum rei sunt, eodem fato interire deberent? Ita quidem homini uidetur. Verùm prouidentia diuina aliud decreuit, quæ in simili culpa alijs breuiorem, alijs longiorem hanc uitam definierit: causa illi soli nota, nobis ignota: de quo infrà copiosius dicemus. Obseruandum autem hîc est, Christum nec uicem illorũ qui interijssent doluisse: nec crudelitatem Pilati execratum esse: nec turris ruinam, qua illi octodecim oppressi essent, culpasse. Sed eos qui audiebant, ad pœnitentiam uocasse: ac nisi resipiscerent, similem illis mortem prædixisse. Discamus etiam hinc, & eos qui fato tali interierunt, ob peccata interijsse: & neminem sibi blandiri debere, si uel uita longiore, uel fœlicitate maiore utatur, quàm alij. Vt autem summatim dicamus, omnino in hac prouidentiæ diuinæ meditatione, primùm generalis mundi gubernatio consideranda est, qua res omnes & condiderit, & conseruet, foueat gubernet:

bernet: ita quidem, ut nihil fiat nisi eius nutu & arbitrio. Deinde cura humani generis peculiaris, qua cùm uniuscuiusq; priuatim conditio ac uitæ initium & exitus, tum rerumpub. status & conuersiones continentur. Postremò Ecclesiæ patrocinium, quo eam tuetur non secus q̃ in utero eam gestaret. Hæc suprà testimoniis confirmata sunt: & certè ob oculos omnium posita facilè apparẽt. Quis enim fando potest magnitudinem & prestantiam rerum creatarum enarrare? Cursus orbium cœlestium perennes & perpetui, astrorum solers subtilisq; digestio, temporum descriptio, uicissitudo dierũ ac noctium, terræ in medio mundi loco immobilis situs, reliquorum elementorum circum eam circuitus & cõprehensio, utilitates ex horum uel cursu, uel uicissitudine ad usum animantium prouenientes innumeræ: hæc inquam, & alia, quę nullius oratio pro dignitate explicare queat, an non manifestè ostendunt, non temerè ista fieri: sed aliquem præesse, qui omnia sapientia & bonitate sua moderetur & conseruet? Iam illa quæ quasi extra ordinem fiunt, an non & ipsa docent uirtũ huius præsidis immensitatem? Mare rubrum in partes secessit, uiam sternendo Hebræis transeuntibus. Petra ijsdem aquam præbuit in potum. Terra contremuit, rupes scissæ sunt, sepulchra sponte aperta, Christo moriente. Ignis de cœlo delapsus, Sodomitas consumpsit. Aquæ in tantum inundarunt, ut in eis animantia omnia, paucis exceptis, perierint. Magna hercle potestas, cuius faciũt imperata ignis, grando, nix, uapor, spiritus procellarum. Magna hæc documenta prouidentiæ diuinæ: sed & illa nõ minora, quòd cunctis animantibus spiritum & uitam largiatur: quòd copiam fructuum subministret, quibus det uim ad uitam mortalium sustentandam: quòd res omnes ad uictum & amictũ necessarias suppeditet: omniaq; sua be- Psal. 148.

nignitate proferat, augeat, tueatur atq; defendat. Iam cùm ad hominem uentum eſt, an non in eo prouidentię diuinæ maxima conſpiciuntur argumenta? cætera enim omnia hominis cauſa, homo Dei cauſa conditus eſt: quē Deum ipſe ſolus agnoſcit, eiusq; beneficia mirabiliter quotidie experitur. Ipſe uerò cœleſtis pater nihil prætermittit, quod ad ornandum bonos, ad puniendū malos pertineat. Itaq; ſceleratos punit, uitia mundi extirpat, audaciam hominum inſolentium frenat, ſuperbiam deprimit. Fallacias aſtutorum detegit: ſtultorum conatus euentu fruſtratur: improba ſapientum conſilia infatuat: machinationes ſtultorum diruit & euertit: fortes effœminat, formidine eos replet: Principibus uertiginē & furorem inijcit. Ex altera parte iuuat miſeros, defendit innocentes, fert opem rebus deſperatis, proſtratos & abiectos ſubleuat, conatus piorum prouehit, eorum qui ad miſericordiam eius confugiunt miſeretur, conſilijs idoneis eos inſtruit, ſpiritu fortitudinis donat. Quòd ſi hæc multis uulgò præſtat, an non magis Eccleſiæ ſuæ, quam tanquam parēs indulgentiſsimus ſingulariter curat, erudit, & ornat? Itaq; ſegnes & ceſſantes expergefacit ad opus, operantes urget, cupiditates eorum frenat, inſtruit eos labore patientiaq; tum corporis, tum animi: peccata eorū tegit & ignoſcit, donis ſuis ornat, eademq; tandem coronat. Etſi autem Eccleſia in hoc mundo tanquam in mari procelloſo uarijs tempeſtatibus iactatur: tamen nunquam ita obruitur, quin ex omnibus naufragijs enatet, ut tamen tolerabilem formam retineat. Sub crucis uexillo eſt quidem illi quotidie militandum: uexationes impiorum ſuperbæ, tyrannorum ſæua uiolentia ſubeunda, ſed hoc non fit illi in exitium, ſed in fidei & patientiæ eius probandæ exercitium. Euadit enim tandem quaſi per mortes innumeras incolumis: quin & in

ipſa

ipsa morte uitam inuenit sempiternam. Quod, nisi diuinitùs seruaretur, nullo modo fieri posset. Hæc omnia talia & tanta sunt, ut omnes excitare debeant ad prædicandam potentiam Dei, sapientiam, bonitatem immensam: ut iure & merito eius gloria floreat, & ad sempiternam seculorum memoriam propagetur.

CAPVT III.

Dei prouidentiam immutabilem esse.

EST autem prouidentia Dei, perinde atq; Deus ipse, immutabilis. Ego Dominus, inquit ipse, & non mutor. Consilium meum manet: & quicquid libet mihi, facio. Apud quem non est mutatio, aut uicissitudinum uarietas. Dominus exercituum deliberauit, & quis potest dissoluere? Manus eius extenta est, & quis auertet eam? Cùm enim prouidentia Dei sit eius uoluntas, hęc autem sit regula rerum omnium: mutari nō posset, quin mutaretur Deus ipse. Et res quidem creatæ mutantur: uerùm Dei uoluntas eadem est, quæ ab æterno decreuit quid quo tempore eueniret. Proferuntur ex Scripturis loca quædam, quibus uoluntatis diuinæ mutatio significari uideatur: ut de Niniuitis, de Ezechia, & alia nonnulla. Verùm circumstantias rerum expendenti facilè apparebit, Deum cùm aliquid futurum decernit, simul etiam & punctum temporis, quo in hanc lucem prodiret, decernere: & quandiu esset duratura, quasi limitibus circumscribere. Quod igitur Niniuitis ob scelera euersionem, deinde ijsdem à morum prauitate se reuocantibus ueniam denunciari iussit, quid aliud significare uoluit, quàm peccata illorum tanta fuisse ut excidium mererentur? Deinde resipiscentiam tam gratam, ut uenia donarentur? Ita in rei mutatione uoluntas Dei mutata non est, qui Niniuitarum utrunque actum & præsciuerit, &

Malach. 3. Esa. 46. Iac. 1. Esa. 14. Ion. 3.

quo ordine futuri essent ordinauerit. Idem de Ezechia rege intelligendum est, qui cũ morbo lethali correptus esset, mortem illi Deus denunciari iussit. Deinde supplicanti, uitam in multos annos prorogauit. Nónne his decretis significat, morbo Ezechiæ ope humana remedium afferri nõ potuisse: diuina uerò potuisse, quę etiam desperatis medicinam facere solet? Hæc uerò nonne uolente Deo facta sunt, qui res gubernet, eis modum & ordinem præstituat, & successum det quemcunque uelit? Quòd igitur res mutentur, uoluntate & consilio Dei fit. Et de Niniuitis quidem & Ezechia quæ dicta sunt, ex uerbis historiæ apparent. Aliquando non tam ex uerbis quàm ex euentu uarietas in rebus cernitur: quę tamẽ Dei prouidentia decreta & constituta est. De ceremonijs ueteris legis, & de sacerdotio Leuitico dicit Deus, illud fore æternũ. Et tamen per Apostolum pronunciat: Si circuncidamini, Christus uobis non proderit. & de abrogatione sacerdotij Leuitici disserit in Epistola ad Hebræos. Quid ita? an Dei uoluntas mutata est? Minimè. Sed Leuiticum sacerdotium ad tempora Messiæ durare uoluit. Quæ cùm uenissent, constituerat ut Leuitici finis esset, eiq; nouum succederet. Hoc si aliunde nõ disceremus: tamẽ euentus ipse palàm nos doceret. Illud uerò quòd Leuiticum in ęternum mansurum fuisse dicitur, de longissima duratione intelligendum esse, uiri doctissimi prodiderunt. Neq; uerò quia Deus immutabilis est, mutationem à rebus auferri oportet. Tolleretur ad hunc modum contingentia omnis, & rerum uicissitudo. Sed immutabilitas in hoc ponitur, quòd quicquid Deus fore decreuit, & quo tempore, quo ordine, quo modo, & quandiu illud durare decreuit, id ita futurum sit infallibiliter & immutabiliter. Ex his igitur perspicuũ est, Dei prouidentia omnia gubernari: & omnia quæ illa con-

la conſtituit, euenire oportere: & quidem qualiter conſtituit, locorum, temporum, perſonarum circunſtantijs definitis. Hucuſq; autem diximus de prouidentia, qua curſus uitæ huius, resq; in ea cõtingentes gubernantur.

CAPVT IIII.

Etiam uitam hominum, quæ huic præſenti ſuccedit, Dei prouidentia gubernari: eamq; beatorum reſpectu Prædeſtinationem, damnatorum reſpectu Reprobationem communiter uocari.

NEque tamen uitę huius curriculo finitur prouidentia diuina. etiam ſe extendit ad alteram uitam: quę præſenti huic ſuccedens, finem habebit nullum. Etenim ſi hominis anima immortalis eſt, & corpore intereunte, ipſa minimè interit: Dei, qui conditor eſt eius, prouidentiam uitare nullo modo poteſt: in quamcunq; tandem, fato hoc defuncta, uitam erit ingreſſa. Hanc autem prouidentiæ partem, quæ ad uitam huic præſenti ſuccedentem protenditur, Theologi peculiari nomine uocant Prædeſtinationem: hoc eſt, decretũ & ſententiam Dei, qua ille apud ſe ſtatuit, quod fatum maneat unumquenque hominem poſt ſpacij uitæ huius decurſionem. De qua prædeſtinatione nobis dicendum eſt. Eandem autem eſſe rationem eius, quæ prouidentiæ, ex his quæ dicta ſunt, quæque dicentur, uideri poteſt. Certè quod exemplum Ieſus Sirach Dei prouidentiæ ponit, eodem Paulus de prædeſtinatione diſſerens utitur. Verba Siracchi ſunt hæc: Vt figulo lutum in manu eſt, iſq; eo arbitratu ſuo in quemcunq; modum utitur: ita homines creatori ſuo in manu ſunt, qui eos ut ei uiſum fuerit remuneretur, alios fortunando euehendoq;, alios conſecrando,

& ſibi cooptando, alios deprimendo & de ſuo ſtatu euertendo. Hieremias quoque ſimilia habet: quæ & ipſa de afflictione & proſperitate temporali intelligenda ſunt. Cùm autem Paulus ſimilia de figulo loquatur, cuius in manu ſit ex eodem luto aliud uas facere ad honeſta, aliud ad inhoneſta, an non palàm oſtendit eandem rationem eſſe prædeſtinationis de qua loquitur, quę eſt prouidentiæ, de qua Sirachus & Hieremias? De Iacobi quoq; amore & Eſai odio quæ in ſanctis Bib-
lijs dicuntur, ad commoda uel incommoda tempora-
lia referenda eſſe, Malachias uates author eſt, qui recenſet Iudæam florentem, deſolata Idumæa. dicitq;, Deum ipſi Idumææ minari perpetuam ſolitudinem, in eamq; ſpſum ſæuiturum in æternum. Hæc nónne ſunt commoda uel incommoda corporalia? Et tamen Paulus ea ſingulari prudentia ad ſpiritualia transfert. Videtur igitur utrorumq; hac in parte ratio eadem eſſe. Quoniam uerò qui de his tractarunt ſeorſim, prædeſtinationem explicarũt: nos quoq; prouidentia utcunq; deſcripta, deinceps dicamus de prædeſtinatione. Eſt autem locus & ualde lubricus, in quo uix inſiſtere queas, ſine metu prolapſionis: & adeò uariè à uarijs pertractatus, ut cui enarratorum aſſentiaris potiſsimùm ignores. Nos qui nobis ipſis diffidimus, nec eo iudicio pollemus ut in tanta controuerſia quid rectius ſit noſtro marte deligamus, ad eorum quos prius diximus, Thomæ & Auguſtini ſententiam nos adiungemus: qui ſint nobis Mercurij & duces itineris ad locum difficillimum.

Hierem. 18.
Gen. 25.
Mal. 1.

Duo ſunt ſtatus animarum, corporis cõpagibus abſcedentium: alter eſt felicium, & beatarum: alter infelicium, & beatitudinis omnis expertium. Status hi ſedes habent diſtinctas. nam qui beati ſunt, in cœlo locum habent, ubi cum Deo immortali beatitudine ſempiterna

fruuntur,

fruuntur. Qui beatorum numero electi sunt, ij in ignem conijciuntur nunquam extinguendum, paratum diabolo & angelis eius. Vtrorumq; status à Deo sapientissimo præscitus est, & à potẽtissimo destinatus, antequam iacerentur fundamenta terræ. Non enim fieri potest, ut uel sapientissimum quicquam lateat, uel uim potentissimi aliquid effugiat. Nec est, quod sciam, hac in parte dissensio inter Theologos: nisi fortè in uocabulis, quod nonnulli prædestinationem ad solos beatos, præscientiam & reprobrationem ad damnatos referant. Verùm posita uerborum controuersia, & præscientia & prædestinatio ad utrosque referri posse uidetur. Præscit enim Deus omnia, antequam fiant: omnia etiam ordinat & destinat ad finem certum, priusquam in hanc lucem proferantur. Sicut enim omnia fingit ex nihilo: ita etiam unicuiq; finem certum constituit, extra finem egredi non possit. Et de impijs quidem Salomonis est sententia: Fecit Deus omnia propter semetipsum, etiam impium ad diem malum. Quod ita intelligendum esse uidetur: Impium in diem exitij creatum esse, ut Dei gloria in eo illustretur: quemadmodum alibi Deus Pharaonem se excitasse pronunciat, ut per eum nomen suum in gentibus patefaciat. De pijs autem Paulus dicit, eos ante orbem conditum in Christo electos esse, ut essent sancti & inculpati, charitate prædíti. Qui affirmant omnes homines ad uitam destinatos esse, hac ipsa electione planè refelluntur. Ea enim nulla esset, si omnes sine discrimine ad uitam designarentur. Sunt autem non tantùm in Euangelio, sed in lege & Prophetis testimonia permulta, æterno Dei consilio quosdam ad salutem electos esse. Itaq; & in lege proponuntur hominibus uita & mors: quod nõ esset, si ad uitam omnes uocati essent. est enim decretum Dei immutabile. Quid Deo indignius, quàm si muta-

Prouerb. 16.

Exod.

Ephes. 1.

si mutaretur: decretaq; eius ab hominibus, cùm liberet, infringerentur? Eligit ergo Deus unum alteri præferendo. Prædestinat autem, cùm prælatos Christo tradit ad uitam ęternam dirigendos, ut illi nulla ui de manu ipsius rapi possint. Si igitur & impios facit Deus ꝓpter se ad diem pœnarum, & pios eligit ad sanctitatē: necesse est intelligi, utroscp ab illo prius definitos esse quàm conderentur, quem in finem condendi essent. Quod sic Christus clarissimè docet in eo sermone, quē se in extremo iudicio habiturum esse dicit tum ad bonos, tum ad malos: Venite benedicti patris mei, accipite regnum quod uobis paratum est ante conditum mundum: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Igitur non solùm regnum bonis, sed ignis malis paratus est à condito orbe. Paulus quoq;, quemadmodum uasa misericordiæ dicit in gloriam præparata esse: ita uasa iræ aptata in interitum. Vt igitur boni ad uitam, ita mali ad mortem sunt prædestinati. In qua sententia ueteres Theologos fuisse, diuus Fulgentius Afer episcopus Ruspensis testis est, qui librū scripsit de duplici prędestinatione Dei, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam. In quo libro eam sententiam sequitur & probat. Augustinus quoq; in Enchiridio ad Laurentium, cap. 100. dicit Deū malos iustè prædestinasse ad pœnam, bonos benignè prædestinasse ad salutem. Neque tamen inficior, quibusdam in locis sanctæ Scripturę & præscientiam & prædestinationem diuinam ad solos beatos restringi. Quod tamen non ideo fit, ut eadem ab impijs sint excludenda: sed eo modo, quo uocabula generalia restringuntur ad certam speciem, additione alicuius proprietatis. nam ut rationale additum animali, restringit ipsum ad solum hominem: ita si prædestinationi addas hoc quod est ad uitam, solis competet beatis.

Matth. 25.

Rom. 11.

tis. Ad hunc modũ Paulus loquitur de ijs qui secundum Dei propositum, hoc est, qui diuino decreto uocati sunt sancti. Quos enim, inquit, præcognouit, etiam destinauit imaginis filij sui consimiles: & quos destinauit, hos etiam uocat: & quos uocat, hos etiã iustificat: & quos iustificat, hos etiã glorioſos efficit. Loquitur hîc Paulus de sanctorũ tum præscientia, tum prædestinatione: ut qua ratione ab hac, eadem ab illa impios excludi necesse sit. Præscitos enim dicit prædestinatos esse: & eosdem uocatos, & iustificatos, & glorificatos. Non igitur præscientia hîc latius patet prædestinatione. Ex eo enim quod est generalius, non rectè infertur, quod est minus generale. Itaq; præscientia hoc loco non nudam noticiam significat, sed cum approbatione coniunctam: qua Deus eligit quos illi uisum est, & inter suos computat. Sic alio in loco dicit: Nouit Dominus uiam iustorum. &: Nouit Deus qui sint sui: hoc est, probat & gratos habet suos, & uitam eorum. Sic sponsus dicit ad uirgines stultas: Non noui uos, hoc est, nõ probatur mihi uita uestra, aut mores uestri. Hac significatione utuntur Latini uerbo probandi: ut cùm dicunt, Probat rex actiones tuas, hoc est, approbat & laudat.

Verùm hæc est peculiaris præscientia & prædestinatio, quæ ad solos beatos referatur. At si de utraq; generatim loquamur, certè & pij & impij æquè à Deo præsciuntur, cui nihil incognitum sit: utriq; æquè ad finem aliquem destinantur, alij ad beatitudinem, alij ad miseriam sempiternam. Paulus de Iacob & Esau loquendo, dicit Deum alterum illorum amasse, alterum odisse. Porrò quem amamus, ei bene uolumus: quem odimus, ei cupimus male. Quamobrem Deus quem amat, ei uult æternam salutem: quem odit, ei nõ uult. Qui igitur à Deo amantur, illi ad summam felicitatem: qui odio haben-

tur, ad perpetuas calamitates destinantur. Quod si quis de uocabulis litem nobis faciat, ac prædestinationem ad beatos, reprobationem ad impios referendam contendat: cum eo nos minimè litigabimus. Videmus enim multis placere, ut prædestinatio sit diuinum propositum dandi alicui uitam æternam: reprobatio autem, diuinũ propositum non dandi uitam æternam. Pleniores definitiones ab alijs traduntur, tales: Prædestinatio est, constans & æternum Dei propositum, eos quos in Christo dilexit miserandi, uocandi, iustificandi, & glorificãdi, ad declarandas diuitias gloriæ suæ. Reprobatio est, constans & æternum Dei propositum, eos quos nõ dilexit, nõ miserandi, sed suę naturę relinquendi: ut tandem sibi derelictos, iustè condemnet, ad ostensionem iræ & potentiæ suæ. Cum ijs qui sic loquuntur & sentiunt, id nobis omnino conuenit, impiorũ statum non minus quàm piorum prægnoscì à Deo: simulq; cum prægnitione hos Deo probari, illos improbari. Hoc autem posito, per me licet ut quisque, quibus uelit, utatur uocabulis, nos utemur promiscuè quibuslibet: magisq; rei explicandæ seruiemus, quàm uerborum superstitioni.

CAPUT V.

Tres Theologorum sententiæ de causis tum prædestinationis beatorum, tum reprobationis damnandorum.

HInc autem exoritur quæstio longè difficilior, an causa sit quamobrẽ Deus alios probet, alios reprobet: hoc est, alios ad æternam felicitatem destinet, alios reijciat. De quo summorũ Theologorum uariant sentẽtiæ. Alius præter Dei uoluntatem negat causam ullam esse huiusce diuersitatis: alius, & amoris & odij in eos qui seruantur & damnantur causas confert: tertius, amoris cau-

ris cauſam Deo tribuit, odij ſoli homini. Nos, argumentis ſingularum ſententiarum ſummatim expoſitis, indicabimus quæ probanda nobis magis uideatur.

PRIOR ſententia, dicentium ad ſolam Dei electionem, nullo uel carnalis propagationis uel operum reſpectu, pertinere prædeſtinationem, aliorum quidem ad ſalutem, aliorum ad mortem, Pauli teſtimonio confirmatur, qui duo exempla proponit, quæ ad totum genus mortalium pertineant. Primum exemplum eſt filiorum Abrahami duorum, qui ambo illius progenies eſſent, ambo ex Dei præcepto circumciſi: tamen alter illorum filius Abrahæ dicitur, Abrahæ inquam, illius qui pater eſt credentium Deo: alter igitur tantùm eſt filius Dei. Non enim (inquit ipſe Paulus) qui ſunt carnis filij, hi ſunt filij Dei, ſed qui ſunt filij promiſsionis. At non omnes ſunt filij promiſsionis, qui ex Abrahamo, atque adeò ex Adamo propagatione deſcendunt. Neq; igitur omnes filij Dei. Alterum exemplum eſt filiorum Iſaaci, illius qui Abrahami filius, idē filius Dei eſſet. Hoc exemplum priore ualentius eſt. nam in illo diuerſitas aliqua apparet filiorum, quòd alter ancillæ, alter liberæ eſſet. Quamobrem ille reiectus, iſte electus uideri poſſet. In exemplo autem Iacobi & Eſaí omnia paria ſunt. Parentes eorum ijdem ambo. Ipſi fratres gemelli, ſimul concepti, ſimul matris utero geſtati, ſimul in lucem editi, unà circumciſi, unà educati. Hoc ſecundo exemplo non tantùm carnalis propagatio, ſed operum reſpectus à prædeſtinatione diuina excluditur. De quo ſic Paulus: Rebeccæ ex uno Iſaaco parente noſtro uterum ferenti fœtibus nondum natis, nec ullo bono malóue functis, ut Dei per electionem decretum non ex operibus, ſed ex uocante ratum eſſet: Rebeccæ inquam, dictum eſt: Maior ſeruiet minori, quemadmodum ſcriptum eſt: Iacobum amaui,

Esaum odio habui. Decretum electionis diuinæ ex uocante ait proficisci, non ex operibus. Sunt qui aiant. opera hîc excludi quæ iam facta esse putarentur, non autem facienda. Verùm Paulus cũ apertè proponat duos eodem patre, eadem matre, eodem partu editos, ijsdem sacris initiatos, ac per omnia pares: qd aliud uult, quàm ut in illorum paritate ostendat Dei actionem liberam esse, qua alterum diligeret, alterum reijceret? Disertè ab hac actione excludit opera, inquiens: Non ex operibus. Addit autem: Sed ex uocante. Adeò autem excludit opera, ut dicat, de nondum natis (tantùm abest ut quid ab illis factum esset) Deum pronunciasse: Maior seruiet minori. Huic oraculo diuino, quod ex Scriptura sumptum est, attexitur in eandem sententiam aliud quod longè pòst enunciauit Propheta hisce uerbis: Iacobum dilexi, Esaum odio habui. Ex uerbis autem Pauli planè intelligitur, hoc ipsum per Prophetam postea apertum esse, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione constitutum. Declarat autem Malachias amorem Dei erga Iacobum, & odiũ erga Esaum, ex reb. temporarijs. nam recenset Iudæam florẽtem, Idumæam desolatam. cui & iram Dei, & solitudinem perpetuam minatur. Recenset, inquam, hæc non tanquam causas amoris ac odij Dei, sed tanquam effectus. Sic enim Deum facit Iudæos alloquentem: Amo uos. Quòd si quæratis, in quo uos amem? Quia Iacobum amaui, Esaum autem odi: eiusq; montes & possessionem in uastitatem & solitudinem redegi, in Idumæosq; sæuiam in perpetuum. Id quod uos uestris oculis spectantes, dicetis, magnificandum esse Iouam per fines Israelitarum. Hæc ferè à Malachia commemorantur: quæ Paulus ad res spirituales accommodat, non certè sine magna causa. Est enim utriq; propositum ostendere, non pro operibus aut meritis tribui

tribui hominibus à Deo beneficia, sed ex mera Dei uoluntate. Seu igitur de temporarijs, seu de æternis rebus fiat sermo, nihil hîc esse discriminis. Quemadmodum Malachias amorem Dei causam dicit esse, cur Israelitis bene: odium autem, cur Idumæis male faceret: Ita Paulus propositum seu decretum Dei de seruandis alijs, alijs reijciendis, ex mera ipsius uoluntate ait proficisci: scilicet quòd alios amaret, alios odio haberet, citra ullum eorum respectum. Quamobrem obiectioni illi (Num iniquitas est apud Deum?) non ita occurrit, ut dicat Esaum ob maliciam uel præsentem uel præscitam reiectum, Iacobum ob pietatem acceptum (quod tamen in loco & opportunè dicere poterat:) sed primùm citat oraculum Dei quod Mosi pro se & pro populo deprecanti datum est his uerbis: Miserebor cuiuscunq; misertus fuero, & cõmiserabor, quemcunq; miseratus fuero. Hoc oraculum Paulus concludit sic: Ergo non est eius qui uelit, neq; eius qui currat, sed miserentis Dei. His uerbis uoluntas nostra cursusq; omnis excluditur: sola misericordia Dei, deducitur in causam electionis nostri. Non meriti humani esse, sed Dei misericordiæ, si qui ex massa perdita eximantur ac liberentur: non esse iniquitatem, si quis nõ exigat quod sibi debeatur. Et hæc quidem propter eos dicta sunt, qui seruantur per electionem gratię. Exod. 33.

Deinde de reiectione aliud oraculum citat, Dei ad Pharaonem: Ad hoc ipsum, inquit, excitaui te, ut ostendam in te potestatem meam, & ut annuncietur nomẽ meum in tota terra. Vtrumq; oraculum hac finit conclusione: Ergo cuius uult miseretur, quem autem uult indurat. Duæ partes sunt conclusionis, duobus oraculis respondentes. Quòd si quis Deo succensere pergat, hac quasi libidine agenti cum creaturis, hunc Paulus non alio dignatur responso, quàm hoc: O homo, tu quis es, qui di- Exod. 9.

disceptes cum Deo? Obiurgatio est, quam confirmat similitudine figuli: cuius potestas est omnis, ex eadem luti massa aliud uas facere ad honesta, aliud ad inhonesta, nec hoc nomine posse hæc fictilia cum fictore suo expostulare. Est autem obseruandum, Paulum hoc loco nihil mutare de sententia, qua excluſit omnem operum respectum à Dei prædestinatione. nam si figulus sine ullo luti merito facit de illo quodcunq; libet, an hoc Deo nõ licebit, ut suo arbitratu faciat de homine quod uelit? omnino si lutum in oculis hominum res est uilis & abiecta, nihilo secius & homo in Dei conspectu. Iam si operum ullus haberetur respectus, tunc nec nos essemus tanquam lutum, nec Deus tanquam figulus: figulum enim agere omnia suo arbitratu, notum est. Ex his autem quæ diximus perspicuum est, Paulum omnia quæ dixit de prædestinatione, referre uel ad Dei propositum seu beneplacitum, uel ad uoluntatem: uel ad misericordiam, uel ad potestatem Dei. Nomine propositi aliqui intelgunt præscientiam futurorum bonorum, quam electio sequatur. Non rectè. Potius significat deliberatam sententiam & decretum animi. Sic enim Paulus: Prædestinauit nos, inquit, in adoptionem filiorum, secundum propositũ uoluntatis suæ. Alijs in locis sic inquit: Cuius uult miseretur: Non est uolentis, nec currentis, sed miserentis Dei: nónne habet potestatem figulus. Ad has causas refert prædestinationem Paulus: de operibus nihil meminit, nisi ut ea excludat. Nihil autem refert, facta sint, an facienda: omnia enim excluduntur gratiâ. nam Paulus cũ dicit nos seruari ex gratia, addit: Si ex gratia, non ex operibus: si ex operibus, nõ ex gratia. Deinde cũ dixit, Non ex operibus: adiecit, Sed ex uocante. Concludamus igitur, nec electionẽ nec reiectionẽ ex operibus pendêre, sed ex uocante ratam haberi. Hæc ferè sunt primæ sententiæ fundamenta,

CON-

CONTRARIA est sententia eorum, qui in homine causam destinationis tum in uitam tum in mortem requirendam dicunt: non quidem ut Deum excludant, quem aiunt omnibus peræquè gratiam suam offerre: cæterùm hominum arbitrij esse, gratiam oblatam uel accipere, uel respuere. Ita hominis uoluntati bonæ, & perseuerantiæ in charitate secundas dant partes in prædestinatione uitæ. Ac Dei quidem erga omnes æqualem esse gratiam, illis testimonijs confirmant: 1. Deus est pater omnium. 2. Suauis est uniuersis. 3. Nihil odit eorum quæ fecit. 4. Miseretur omnium, quia omnia potest: & dissimulat peccata omnium, propter pœnitentiam. 5. Concluſit omnia sub peccatum, ut omnium misereatur. 6. Nemini petenti gratiam negat. 7. Inuitat ad se omnes: Venite ad me, & ego reficiam uos. 8. Illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. 9. Vult omnes saluos fieri. 10. Omniumq; est seruator, & maximè fidelium. 11. Non uult mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. 12. Iussit prædicari Euangelium omnibus creatis, per quod mundus sibi recõcilietur. 13. Promissiones fecit uniuersales, quas omnibus iussit annunciari. 14. Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi. 15. Paulus dicit gentes inexcusabiles esse: igitur unicuiq; datur tantum gratiæ, quantum satis est. 16. Iusticia Dei manifestatur in omnes qui credunt. 17. Non est discrimen Gentilis ac Iudæi. 18. Omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei: in omnes igitur gratia diffunditur. 19. Huc pertinent Paulinæ comparationes: Sicut per unum hominem peccatum in cõdemnationem, ita per unum iusticia in uitam. Quòd si in uno multi mortui, multo magis gratia Dei exuberabit ut multi regnent in uita per Christum. Igitur si peccatum in omnes peruenit, multo magis iusticia in

omnes

omnes redundabit. nam ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes uiuificabuntur. 20. Amplius ſic ratiocinantur: Si Adamo ob peccatum ad mortem adiudicato, tota ipſius poſteritas damnationi obnoxia facta eſt: quanto magis eodem ante peccatum uitæ deſtinato, omnes ab illo propagati, ad eandem uitam deſtinati ſunt? Eadem enim conditio manet poſteros, quæ primum authorem generis. quemadmodum Leui dicitur decimatus fuiſſe in lumbis Abrahæ. Conſtat autem de Adamo ipſo, fuiſſe ad Dei imaginem conditum, ac in paradiſo collocatum, ut ibi beatam ac immortalem uitam degeret, niſi peccaſſet. 21. Ad hæc, cum nullus pater tam crudelis ſit, ut filium uelit gignere ad patibulum: quanto magis de patre cœleſti ſentiendum eſt, omnes filios eum ſeruare uelle? Si uos qui mali eſtis, ſcitis bona dona dare filijs ueſtris: quanto magis pater ueſter cœleſtis, qui bonus eſt? 22. Deinde & illa afferuntur: Indignum eſſe Dei iuſticia, ut nullo operum ac meritorum delectu alios damnaret, alios ſeruaret. hoc eſſe & tyrannorum pro arbitrio agere quæ libent, nulla habita iuſta cauſa: & eorum qui perſonarum rationem habent. Quo uitio Deum liberat Petrus Apoſtolus, cùm dicit, eum non reſpicere perſonam, ſed omnes iuſtè agentes & Dei timentes gratos illi eſſe. 23. Aliter iuſticiæ nullus locus, nullus etiam miſericordiæ eſſet apud Deum iuſtum & miſericordem. 24. Eo libertatem arbitrij homini tributam eſſe, ut qui bene eo utantur, bene illis eſſet: qui male, malo afficerentur. 25. Iam ſi in homine cauſa nulla eſſet cur hoc uel illo modo à Deo haberetur, quamobrem alij accuſarent uel defectionis à Deo, uel peruerſitatis: alij laudarentur ob rem bene geſtam, ac ideo uocarẽtur ad gloriam cœleſtem. ut: Euge ſerue bone, quia fuiſti fidelis, intra in gaudium domini tui: & inutilem ſeruum

Matth. 7.

conijcite

conijcite in tenebras imas ubi sit ploratus & stridor dentium. 27. Quamobrem denique oracula diuina passim uitam æternam bonis operibus, mortem malis tribuant? Multa ad eam rem afferri possent: sed hoc unum in præsentia sufficiat ex Pauli epistola ad Rom. cap. 2. Reddet, inquit, Deus unicuique secundum opera ipsius: ijs quidem qui in rectè factis perseuerantes, gloriam & immortalitatem quærunt, uitam sempiternam: contentiosis autem, ueritati nō obtemperantibus, imminet sæuitia, pœna, calamitas, angustia. Hæc & similia argumenta sunt eorum, qui pro causis uel iam existentibus, uel adhuc præscitis, Deo assignant uirtutem destinandi alios ad uitam, alios ad mortem: ac in illos misericordiæ, in hos iusticiæ exercendæ.

TERTIA sententia est inter priores duas interiecta & media, quę beatitudinem electorum soli Deo assignat: reprobrationem damnatorum in eos solos confert. Hoc Deum ipsum apud Oseam testari his uerbis: Perditio tua Israel, in me tantummodo auxilium tuum. Cùm enim Deus nō sit causa peccati, non erit etiam causa indurationis & reprobationis quæ fit propter peccatum. Hoc doceri à Paulo, cùm dicit: Israelitas iusticiæ legem persequentes, ad iusticiæ legem non peruenisse. Cur? Quoniam non per fidem. sed per legis opera Impegerunt enim in lapidem offensionis. Hîc causam dicit esse, quamobrem Iudæi ad iusticiam legis non peruenerint, tum incredulitatem eorum, tum offensionem in Christo, tanquam in lapide. Hinc enim illæ uoces ab illis iactatę: Galilæus est, Samaritanus est, dæmonium habet, Est fabri filius, per Beelzebub principem dæmoniō tū eijcit dæmonia, Peccator est: Discipulos habet & sabbatha uiolantes, & illotis manibus manducātes. Cumq; Christus inuisus eis esset, fidem ei habere noluerunt: &

qui eum confiteri ausus esset, eum communione Ecclesiæ suæ priuare statuerunt. Atqui Christus beatum pronunciat, qui in se non offendatur. Hæc igitur Iudæorum ruinæ & condemnationis causa est: quia impegerunt in lapidem impactionis, & in petram offendiculi.

CAPVT VI.

Prioris sententiæ de prædestinatione confirmatio.

HVcusque recitauimus sententias tres de prædestinatione diuina hominum, aliorum ad uitam, aliorum ad mortem. Posteriorem sententiam tuetur Ioannes Scotus Sen. 1. d. 41. q. unica. Etsi enim concludendo permittit cuique, ut in hoc imperscrutabili negocio sentiat quid uelit: tamen ipsi hæc sententia tertia probabilior uidetur: quam tuetur, & argumenta contraria dissoluit. Secundam sententiam defendit Guilelmus Occamus, Gabriel Byelus, & nostris temporibus Albertus Pighius & Ioannes Maria Verratus. Priorem sequitur diuus Thomas Aquinas, cui subscribit Durandus: quam & nos amplectimur, utpote sacris literis magis consentaneam, & cum Augustini sententia prorsus concordem. Quod nos uerbis illorum afferendis planum faciamus. Verba Thomæ 1. q. 23. a. 5. ad. 3. hæc sunt: Voluit Deus in hominibus, quantum ad aliquos, quos prædestinauit, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum iusticiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare Deus quosdam elegit, & quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostolus ad Romanos nono, dicens: Volens Deus ostendere iram, id est, uindictam iusticiæ, & notam facere potentiam suam: sustinuit, id est, permisit in multa patientia, uasa

uasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Et secunda Timoth. secundo dicit: In magna domo non solum sunt uasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia. & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, NON HABET RATIONEM, NISI VOLVNTATEM DIVINAM. Vnde Augustinus super Ioannem dicit: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli uelle dijudicare, si non uis errare. Sicut enim in rebus naturalibus potest assignari ratio (cùm prima materia tota sit in se uniformis) quare una pars eius est sub forma ignis, & alia sub forma terræ à Deo in principio condita, ut sic sit diuersitas specierum in rebus naturalibus: sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici diuina uoluntate: sicut ex simplici uoluntate artificis dependet, quòd ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia: quamuis ratio artis habeat, quòd aliqui sint in hac, & aliqui sint in illa. Hactenus Thomas, qui primùm de prædestinationis & reprobationis causa generatim loquens, eam ad hunc finem refert, ut in diuersitate hac & seruandorum & perdendorum, appareat tum misericordia, tum iustitia Dei. Deinde singillatim, & (ut ita loquar) ἀκριτικῶς loquens de eadem causa, negat aliquam esse cur hic seruetur, ille perdatur, præter Dei uoluntatem. Est autem obseruanda ratio Thomæ, quam ille affert eodem in loco his uerbis: Apostolus dicit ad Titum tertio: Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam nos saluos fecit. Sicut autem saluos nos fecit, ita prædestinauit saluos nos fieri. non ergo præscientia meritorum est causa uel ratio prædestinatio-

nis. In libro autem contra Gentiles tertio, capite ultimo, syrographo: quòd autem, sic inquit: Quòd autem prædestinatio & electio causam non habeant ex aliquibus humanis meritis, potest fieri manifestum non solum ex hoc, quòd gratia Dei quæ est prædestinationis effectus, meritis non præuenitur, sed omnia merita præcedit humana: sed etiam ex hoc, quòd diuina uoluntas & prouidentia est prima causa eorum quæ fiunt. Nihil autem potest esse causa uoluntatis & prouidẽtiæ diuinæ, licet effectuum prouidentiæ, & similiter prædestinationis, unus possit alterius esse causa. Quis enim (ut Apostolus dicit) prior dedit illi, & retribuetur ei? Planè dicit Thomas, causam esse nullam uoluntatis ac prouidentiæ diuinæ: quippe supra quam nihil sit, ipsa autem sit omnium rectrix & moderatrix. Sed adferamus uerba Augustini, quibus prædestinationis ratio pulcherrimè explicatur. Sic enim ille in enchiridio ad Laurent. cap. 98. adducto testimonio Pauli Ro. 9. Cuius uult miseretur, &c. Et, Priusquàm nati essent, & aliquid facerent, dictum de eis: Iacob dilexi, Esau odio habui. His inquam adductis testimonijs, subdit Augustinus: Sentiens autem Paulus (inquit) quemadmodum posset hoc quod dictum est, promouere eos qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ: Quid ergo dicemus? ait. Nunquid iniquitas est apud Deum? absit. Iniquum enim uidetur, ut sine ullis bonorum malorúmue operum meritis unum Deus diligat, odiatq; alterum. Qua in re si FVTVRA opera uel bona huius, uel mala illius, quæ Deus utiq; præsciebat, uellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus: sed diceret, Ex futuris operibus: eoq; modo solueret istam quæstionem: imò nullam, quam solui opus esset, faceret quæstionẽ. Nunc uerò cùm respondisset, Absit: id est, absit ut sit iniquitas

apud

apud Deum: mox ut probaret nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit: Moysi enim dicit, Miserebor cuius misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, siue iudicium pœnale ingerat digno, siue misericordiam præstet indigno? Denique infert, & dicit: Igitur non uolentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Ambo itaque gemini natura filij iræ nascebantur, nullis quidem operibus proprijs, sed originaliter ex Adam uinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per iudicium debitum. Quod cùm deberetur ambobus, in altero alter cognouit non de suis distantibus meritis sibi gloriandum esse, quòd in eadem causa idem supplicium non incurrit: sed de diuinæ gratiæ largitate: quia non uolentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. altissimo quippe ac saluberrimo sacramento uniuersa facies, atque (ut ita dixerim) uultus sanctarum Scripturarum, bene intuẽtes id admonere inuenitur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Hęc Augustinus. Dein de eidem argumentum sequenti capite 99. prosequens, sic inquit: Cùm autem Apostolus misericordiam Dei commendasset in eo quod ait, Igitur non uolentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: deinde ut etiam iudicium commendaret, quoniam in quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed iudicium, non est quippe iniquitas apud Deum: continuò subiecit, atque ait: Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia ad hoc te excitaui, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in uniuersa terra. quibus dictis ad utrunque concludens, id est ad misericordiam & ad iudicium, inquit: Ergo cuius uult miseretur Deus, & quem uult obdurat.

durat. Miserẽ scilicet magna bonitate obdurat nulla iniqtate: ut nec liberatus de suis meritis glorieẽ, nec dãnatus nisi de suis meritis cõqueratur. Sola em̃ gratia redẽptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreuerat massam ab orgine ducta causa cõmunis. Hoc aũt qui eo modo audit, ut dicat, quid adhuc conqueritur? nã uoluntanti? eius quis resistit? tanc̃ propterea malus non uideatur esse culpandus, quia Deus cuius uult miseretur, & quem uult obdurat: absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse Apostolum uidemus: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me feciſti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in contumeliam? Hoc enim loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defeciſſe, & inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est, O homo tu quis es? Et in talibus quæstionibus, ad suæ capacitatis considerationem reuocat hominem, uerbo quidem breui: sed re ipsa magna est redditio rationis. Si enim non capit hæc, quis est qui respondeat Deo? Si autem capit, magis non inueniet quid respondeat. Videt enim, si capit, uniuersum genus humanum tam iusto iudicio diuino in apostatica radice damnatum esse, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei uituperare iusticiam: & qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid meruisset uniuersa conspersio: & quò etiam istos debitum Dei iudicium duceret, nisi eius indebita misericordia subueniret: ut uolentium de suis meritis gloriari, omne os obstruatur: & qui gloriatur, in Domino glorietur. Hactenus Augustinus. Qui alibi sententiam

Sola gratia discernit electos à reprobatis.

O homo tu quis es?

tentiam (de operibus præuisis, quibus moueatur Deus ad misericordiam alijs tribuendam, alijs negandam) uocat stultam hæreticorum sapientiam. atque ex textu uerborum Pauli sic eam confutat: Si Deus alterum nondum natorũ diligebat, alterum oderat, propterea quod eorum futura opera præuidebat: cur Paulus stupida illa re (de nondum natis pueris, nec aliquid boni maliue agentibus) proposita, ac quæstione illa aduersariorum (Num ergo iniquitas apud Deum est?) sibi obiecta, nõ hoc ipsum respondet de bonis malis'ue operibus præuisis? Hîc enim erat locus ut diceret, futura Deum opera præuidisse, quando maiorem minori seruiturum dicebat: itaq; nullam esse iniquitatem apud eum qui unicuique det pro operibus, si non præsentibus, attamen præuisis. Non autẽ dixit hoc Apostolus: sed potius, ne quis de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam affert tum illud, Misereborcui misertus ero: tum illud, In hoc ipsum excitaui te, ut annuncietur in te potentia mea. Et ad utrunq; concludit: Ergo cuius uult miseretur, quẽ uult indurat. Atq; hoc facit ille apud quem nõ est iniquitas. Vbi ergo nunc merita, ubi opera uel præterita uel futura, tanquam liberi arbitrij uiribus adimpleta, uel adimplenda? Hæc fusissimè prosequitur Augustinus cùm alibi, tum in epistola 105. ad Sixtum. Libro autem de Prædestinatione sanct. capite 17. hac ferè utitur ratione: Si quis eligitur à Deo propter fidem & opera, ipse prius eligit Deum quàm eligatur ab eo, nimirum credendo & operando, ut eligi mereretur. Sed sancti non prius eligunt quàm eliguntur, dicẽte Christo Ioa. 15. Non uos me elegistis, sed ego uos. Ergo sancti non eliguntur propter fidem aut ulla opera: nec quia crediderũt eliguntur, sed eliguntur ut credant. Certè uel electio Dei nulla est, siquidẽ homo credendo

prius

prius eligit, quàm eligatur: uel uoluntas nostra est regula electionis diuinæ, siquidem in nobis positum est, ut gratiam acceptemus. Iam fidem ipsam Dei donum esse, Christus ipse affirmat. Etsi autem à Deo oblata non possit recipi nisi uoluntate hominis: tamẽ & hęc uoluntas à Deo est, qui & uelle & efficere in nobis efficiat. Quis locus esset gratiæ, si homo electum se diceret propterea quòd crederet? credidisse autem se propterea, quia uellet? Nónne ad hunc modum haberet homo, de quo gloriaretur? gratiæq; nullus locus esset? quæ certè nulla est, ubi quid nostris uiribus tribuitur. Rectè igitur à Paulo conclusum est: non uolentis, nec currentis esse, sed Dei miserentis. Hæc ex Augustino desumpsimus: etiam si ille copiosius id pertractet. In primis autem considerandum, quod idem Augustinus lib. de bon. perseu. cap. 24. affert: nullum prædestinationis illustrius exemplum extare, quàm sit ipse Mediator: qui secundum humanam naturam id honoris nullis præcedentibus meritis adeptus est, ut Dei unicus esset filius. Quod si hoc rectè dicitur de Christo capite Ecclesiæ: an non rectius de membris dicetur? Ad summam, cùm Paulus de destinatione diuina tractans, duos proposuerit fratres, alterum ad uitam, alterum ad mortem destinatum: simulq; de utroq; pronunciauerit, NON ex operibus, sed ex uocante: an non ex æquo amorem, odiumq; ex operibus non pendere significauit? nam si daremus, odium uel ex præuisis malis operibus pendere, an non ex contrario concederemus (ut Augustinus colligit) amorem eius ex præuisis bonis operibus nasci? Iam si Deus in destinatione respiceret bona maláue opera: nulli infantes, qui in infantia morerentur, seruari possent: nulli etiam damnari: propterea quòd opera eorum, quæ nulla essent, præsciri non possent. Ea enim præsciuntur à Deo, quæ futura sunt.

Aug. ad Simpl. col. 638.

ra sunt. quæ uerò nunquam erunt, quomodo præuiderentur? Nec igitur Christianorum pueri, quamuis baptizati, seruarent, nec Gentilium damnarentur. Quòd si damnantur, an non odio habiti esse intelliguntur, sine operum respectu? Sunt qui dicant, Deum in his infantibus uidisse mala quę facturi fuissent, si superuixissent. Quod responsum adeò Augustino uisum est ineptum, ut illud refellere noluerit: ne existimare uideretur, esse alicuius momenti. Omnino qua ratione tales damnarentur ob mala, quæ, si superuixissent, facturi fuissent: eâdem & illi qui è uita sublati sunt, ne si diutius uixissent in uitia, labe rentur. De quibus sic scribitur: Quia Deo placuit ille, charus est habitus: & cùm inter peccatores uiueret, de medio sublatus. Abreptus est, ne malicia immutaretur sensus eius, néue anima eius fraude circũueniretur. Christus interminando Capharnaitis, q̃ doctrina & miraculis inuitati uitam corrigere nollent, sic tandem loquitur: Si Sodomis eadẽ quæ in te edita fuissent miracula, mansissent in hodiernum diem. Quis ex his uerbis colligat, Sodomitas seruatos esse, propterea quòd ad frugem fuissent redituri, si miracula uidissent quæ à Christo & Apostolis edebantur? Tritum est illud, Ex connexis pronunciatis neutram partem poni posse. ut ex hoc quod Martha dixit ad Christum: Si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus: non potest concludi, nec Christum fuisse ubi Lazarus erat moribundus, nec Lazarum non fuisse mortuum. Nec igitur ex eo quod quis fecisset, non fecisse ue, si uixisset, colligi debet, illum ad uitam mortémue destinari debuisse. Et hæc quidem de electione Dei gratuita, in nullis hominum meritis fundata, deq; ei contraria reprobatione, dicta sint. Quibus hunc epilogum addilibet: Si gemellorum duorũ, cùm adhuc in claustris maternis inclusi sunt, alter eligitur, alter reijcitur, nullo

Aug. de perf. cap. 10.

Sap. 4.

Matth. 11. Luc. 10.

operum respectu, sed ex solo uocantis beneplacito: si non est uolentis, nec currentis, sed miserentis Dei, qui induret quem uelit, quem uelit misericordia prosequatur: si Deus ostendit potentiam suam in uasis iræ, ut in uasis misericordiæ notas faciat diuitias gloriæ suæ: denique si decretum Dei per electionem, non ex operibus, sed ex uocante ratum habetur: quid de electione gratuita in nullis operibus fundata dubitamus? quid opera seu præuisa, seu præsentia iactamus? quid ea quæ nunquam futura sunt, tanquam præscita somniamus? De quibus quicquid hac in parte dicitur, totum sine Scripturis, sine authoritate dicitur. Hæc sententia ex sanctis literis non collecta, sed descripta est: ad eam testimonia magnorum uirorum accommodata sunt. Sequenda est igitur, & sine omni dubitatione amplectenda.

CAPUT VII.

De effectis prædestinationis & reprobationis.

HVcusq; de causis prædestinationis ac reprobationis dictum est. Nunc de effectis dicendum: quæ quia ex superioribus dictis sciri possunt, ideo hîc breuio
Rom. 8. res erimus. Sunt autem copiosè à Paulo descripta his uerbis: Quos præsciuit, eos prædestinauit imaginis filij sui consimiles, ut sit is in tot fratrib. primogenitus. Quos prædestinauit, eos uocauit: uocatos iustificauit, iustifica
Cap. 3. tos glorificauit. Significauit autē hîc, ut suprà diximus, præscientia non tantùm cognitionem rerum antequam fiant (nam hoc modo & impij præcognoscuntur à Deo) sed cognitionē cum approbatione cōiunctam, qua Dominus eligit quos uult in suos, eosq; adoptat in filios. Huiusmodi electionem & adoptionem consequitur prædestinatio, uel (ut alij loquuntur) præfinitio, ad gerendam in nobis imaginem Christi, primogeniti omniū nostrûm.

nostrûm. Prædestinationem sequitur uocatio: quæ non tantùm externa uerbi prædicatione, sed interno afflatu fit: dum Deus trahit ad se, quoscũq; uelit uenire ad Christum. Ne uocatio sit frustranea, uocati iustificantur, dum peccata illis remittuntur, Deoq; per IESVM CHRISTVM reconciliatur. Postremò iustificati glorificantur in præsenti quidem spe, in futuro æternæ uitæ possessione. In hac gradatione opera locum nõ habent: quę tamen inter iustificationem & glorificationem debere poni uidentur: nam iustificationem sequuntur tanquam effectus suam causam: glorificationem autem præcedũt, non quidem ut causa, sed ut gradus, per quos eatur ad uitam æternam. Cùm enim nõ statim qui iustificati sunt, moriantur, spacium intercurrens transigunt bonis operibus, quibus fidem suam declarent & exerceant. Sic enim alibi Paulus: Dei sumus opus, conditi in CHRISTO IESV ad bona opera, quæ præparauit Deus ut in eis ambulemus. non dicit nos bene operatos ut, in Christo conderemur: sed conditos esse ad bene operandum. Ita hîc, quod in gradatione omittitur, positum est. Alijs etiam in locis sic: Tit. 2. Apparuit gratia Dei cunctis salutaris, erudiens nos, ut impietati mundanisq; cupiditatibus ualedicto, frugaliter, iustè, piè uiuamus in hoc seculo. Non dicit nos piè sobrieq; uiuere, ut appareat gratia Dei: sed contrà, illam apparuisse, ut piè uiuamus. non igitur gratia Dei illuxit nobis ut licentiam daret impiè & iniustè uiuendi: sed ut erudiret nos ad pietatem, modestiam, & ad rationem honestæ uitæ. Ephes. 1. Elegit nos ante orbem conditum, ut essemus in suo conspectu sancti & immaculati. 1 Cor. 7. Misericordiam consequutus sum ut essem fidelis. Igitur & fides & rectè facta sunt effecta electionis. Eliguntur enim sancti à Deo, ut fidem illi habeant, ut sint sancti & immaculati. Est & Ephes. 2.

ille effectus, ut certi simus de salute nostra. Quod Paulus post gradationem illam descriptam Rom. 8. luculenter docet: Si Deus (inquit) à nobis, quis contra nos? Quis accuset electos Dei? quis damnet? quis eos diuellat ab amore Dei? Quasi dicat, Nemo: ubicũq; enim uictores per eum discedimus, qui nos adamauit. Additur & ille effectus, declaratio bonitatis & diuitiarum gloriæ Dei. In hũc eñ finem uasa misericordiæ ad gloriam sunt apparata à Deo, ut in eis declaret opulentam gloriam suam. Hæc de electione: cui contraria est reprobatio. Est autem reprobare hoc loco, idem quod non misereri alicuius. Hoc autem ipsum consequitur derelictio eius cuius misertum non est, atq; adeò gratiæ negatio. Qui gratia Dei præditus non est, hic relictus naturæ suę, non potest non peccare. Porrò qui peccat, nec resipiscit, morte æterna multatur. Voluit enim Deus hac ipsa pœnæ irrogatione ostendere iram, & notam facere potentiam suã: qui finis est extremus reprobationis diuinæ. Quod Paulus his uerbis: Quid si Deus uolens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate uasa iræ, apparata ad interitum: & ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam: supplendum est, Quis propterea insimulare eũ iniustitiæ queat, aut diẽ illi dicere? Vocantur hîc homines uasa: quo uerbo intelliguntur organa, aut instrumẽta, similitudine sumpta ab instrumentis ad aliquos usus paratis. Vtitur enim Deus hominibus tanq; instrumentis, per quæ demonstret tum misericordiam, tum iram suam. Ideo Paulus facit duplicia eiusmodi instrumenta: altera misericordiæ, altera iræ. In his Deum ostendere iudicia seueritatis suæ, in illis opulentam gloriam suam: nõ tantùm quia ea beneficijs ornat, sed quia in interitu impiorum apparet quanta benignitate utatur in electos

electos suos. Hoc aliquibus absurdum uidetur, quasi Deus alicuius carnificina delectari debeat, gloriæ suæ il lustrandæ causa. Citat Salomonem ita inquiente: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. Intelligendum est his uerbis negari, Deo inesse studium uoluptatis capiendę ex alienis malis, aut felicitatis comparandæ ex aliorum pernicie. Verùm quòd Deus flagitijs hominum ulciscendis non uelit iusticiam suam patefacere, quis neget, cùm Paulus id palàm affirmet? Quamobrem idem Salomon in Prouerbijs, facit sapientiam impios sic alloquentem: Ego quoq; in interitu uestro ridebo. Quibus uerbis affirmat, Dei sapientiam animo alacri punire facinorosos. Dicendum est igitur ex Pauli sententia, Deum patefacere diuitias gloriæ suæ nō tantùm electos glorificando, sed ex opposito, dum uasa iræ coagmentātur ad interitum. Cùm enim electi conferunt se cum reprobis, cū quibus sciunt se ex eadem massa desumptos, ijsdem uitijs inquinatos, eiusdem quoque pœnæ reos esse, non tantum non extollunt se de bonis operibus tanquam de proprijs: sed planè intelligunt quantum in se beneficij, quantum misericordiæ à Deo collatū sit: qui nisi gratia illis subueniret, idem reddidisset meritis eorum, quod alijs in eadem massa reddidit. Ita Deus in uasis misericordiæ, etiam per uasa iræ notas facit diuitias gloriæ suæ. ut inquit Augustinus epist. 106 ad Paulinum. Idem ad Sixt. sic scribit: Vbi una eademq; damnationis massa inuoluit omnes, ibi liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia, utiq; nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed iniustum est (inquiunt) in una eademq; mala causa hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo iustum est, utrunque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias Saluatori,

Sap. 11.

Prouerb. 1.

Aug. ad Sixtum epist. 105 col. 461.

dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim utrique liberarentur, lateret quid peccato per iusticiam debeatur: si nemo, quid gratiæ largiretur. Sic ille. Ex his perspicuum est, nō æqualem esse Dei gratiam erga omnes: sed eius bonitatem melius in electis apparere, dum uasa iræ perferendo, ad interitum ea peruenire patitur. Hæc de reprobis breuiter. De quibus & Apostoli parcè disserunt: magis occupati prædicanda electionis gratia, quæ sit causa salutis nostræ. Et certè hæc materia magis ad amplificandam gratiam Dei erga electos est referenda, quàm ad turbandas conscientias odiosis contentionibus. Satis est nos scire, reprobatos esse quosdam à Deo: eiusque reprobationis causam occultam esse, ut ait Augustinus, iniustam non esse.

CAPVT VIII.

Obiectionum contra Dei prouidentiam solutiones.

DIximus quantum satis nobis usum est, de toto prouidentiæ diuinæ genere. Cuius illam partem quæ ad uitam à morte corporali pertineat, nempe prædestinationem, singillatim ex scripturis tum diuinis, tum probatorum authorum exposuimus. Nunc obiectionibus quibusdam respondendum est.

Obiectio prima.

Quarum illa quę est de rebus cōtingentibus, est perquàm difficilis, quæ ita cōparatæ sunt, ut accidere æquè ac non accidere possint. Earum rerum genus uidetur in totum tolli, posita Dei tum præscientia, tū prouidentia. neque enim præcognitio Dei falli potest, utpote sapientissimi: neque dispensatio in rebus agendis impediri, quippe potentissimi. Igitur si præscit Deus res omnes, si unicuique præstituit & initium & progressum & finem, tollen

tur

tur res omnes quæ in utranq; partem accidere posſint, & quarum euentus ſint ancipites. Omnia igitur euenient neceſſariò, utpote à Deo prudentiſsimo præcognita, in quem ignorantia non cadat: & à potentiſsimo definita, cuius uim nihil effugere posſit. Ex duobus argumentis hæc concluſio confecta eſt: alterum eſt præſcientia, alterum prouidentia. De præſcientia Dei ſic ferè reſpondent, non magis illam cauſam eſſe: ut res contingens eueniat, quàm mathematicorum præſcientia, cùm prædicunt Lunæ defectionem euenturam. Scientiam rerum non eſſe eius generis, ut rebus ipſis det aliquod eſſe: ſed potius res cauſas eſſe ſcientiæ. Hæc ille. Etſi autem hoc uerum ſit de ſcientia humana, quæ poſterior ſit reſcita: tamen ſcientia diuina cùm ſit coniuncta cũ uoluntate, prior eſt, & cauſa rerum omnium. Nihil enim Deus præſcit futurum eſſe, quin uelit ut ſit futurum. Verumtamen nec ipſa præſcientia, nec uoluntas mutat rerum naturas: ſed quamq; rem determinat pro natura illius. Eſt enim Deus conditor & rerum exiſtentium, & modorum exiſtendi: quorum alter eſt neceſſitas, alter contingentia. Igitur res neceſſarias ita præcognoſcit, ut eas fore ſit neceſſe: contingentes ita, ut cùm ſint, poſsint non eſſe: & cùm non ſint, poſsint eſſe: in quo contingentiæ uis poſita eſt. Multa fieri poſſe, quæ tamen nunq; fient, Chriſtus author eſt: qui à Iudæis captus, cũ Petrum hortaretur ut gladium conderet in uaginam, dixit ſe poſſe obtinere à patre xij. legiones angelorum. Hoc cùm fieri poſſe Chriſtus affirmet, nec tamen literis proditum eſt fuiſſe unquam: non dubium eſt quin Deus potuiſſe fieri, nec unquam fuiſſe, præſciuerit. Quod ſi Dei præſcientia huiuſmodi rebus poſsibilibus non aufert, quin ſint poſsibiles: non aufert etiam contingentibus, ut non ſint contingentes.

De

De prouidentia eodem modo dicendum esse uidetur. nam effectus diuinæ prouidentiæ (inquit Thomas 1.q.23.a.4.ad.1.)non solum est, euenire aliquid quocunq; modo: sed aliquid euenire uel contingenter, uel necessariò. Et ideo euenit necessariò, quòd diuina prouidentia disponit euenire necessariò: & euenit contingenter, qd diuinæ prouidentiæ ratio habet ut contingenter eueniat. De rebus fortuitis quę etiam Dei prouidentia tolli uidentur, sic idem Thomas 1. q.22.a.2.ad.1. Aliter est, inquit, de causa uniuersali loquendum, aliter de causa particulari. Ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire: non autem ordinem causæ uniuersalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impedientem. Sicut lignum impeditur à combustione per actionem aquæ. unde cùm omnes causę particulares concludantur sub causa uniuersali, impossibile est aliquem effectum ordinem causę uniuersalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinẽ alicuius causę particularis effugit, dicitur esse casuale uel fortuitum, respectu causæ particularis: sed respectu causę uniuersalis, à cuius ordine subtrahi non potest, dicitur esse prouisum. Sic & concursus duorum seruorum, licet sit casualis, inquantum ad eos: est tamen prouisus à Domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat.

Secunda.

Illæ etiam obiectiones minimè sunt prætereundæ: Si (inquiunt) rei præscientia & prouidentia res omnes fiunt: igitur nec libero arbitrio, nec consultationibus humanis locus erit ullus: nec labores erunt suscipiendi quarumlibet rerum causa: nec ægrotis cura habenda erit ualetudinis, nec Deus ullis precibus appellandus. Quantumuis enim hæc uel adhibeantur, uel omittantur: illud tamen

tamen eueniat neceſſe eſt, quòd Deus præſcientia ac infallibili ſua prouidentia conſtituit. Reſpondendum eſt primùm de libero arbitrio, quod quale fuerit hominis conditi initio, Ioſua Sirach in ſuo Eccleſiaſtico declarat his uerbis: Deus principiò homine creato, permiſit eum arbitrio conſilij ſui: ac datis ei præceptis, ſimul propoſuit ei uitam & mortem: ut ſi præcepta exequeretur, uitam: ſin minus, mortem haberet: ad utrum illorum uellet, manum porrigeret: & utrum ei placeret, id ei daretur. Num homo hac conditione creatus, Dei præſcientiam fallere, prouidentiam ſubterfugere poterat? Minimè quidem: nam eadem uis eſt ſemper Dei cognoſcentis omnia, omniaq; gubernantis. Et tamen hominis erat poteſtas, extendere manum ad utrum uoluiſſet: idq; accipere quod ei placuiſſet. Ex qua poteſtate extitit, ut pomum uetitum guſtaret. nulla enim coactus neceſsitate id fecit, ſed poteſtate qua præditus erat hoc uel illud faciendi, maluit diabolo obtemperare quàm Deo. Igitur ne nunc quidē natura hominis corrupta, præſcientiâ ac prouidentiâ Dei tollentur uires liberi arbitrij: ſcilicet tales, quales iam habētur. Tales ēm iam ſunt, ut ſponte ſua ad malum ferantur: ad res cœleſtes, nō niſi Deo efficiente tum uoluntatem tum facultatem. Non tantùm res humanæ, antequam fiant: ſed & quæ Deus ipſe certo alicui tempore deſignauit, ab ipſo præcognitæ ſunt: ut quòd Chriſtum certo tempore in orbem terrarū emiſſurus eſſet, id quidem ex omni æternitate præſciuit & definiuit. Nemo tamen propterea libertatē Dei, emittendo Chriſto, tollendam putat. Nec igitur noſtra tollenda eſt, ulla Dei conſideratione ac prouidentia, quamuis certa & infallibili. Agit Deus, & mouet unumquodq; pro eius natura & proprietate. Cibo alit, igne urit, aqua madefacit, ſole calefacit & illuſtrat. Ex ficu ficus, ex uite profert ui- Eccl. 15.

t num.

num. Voluntatẽ aũt ciet ut ſpõte & ultro uelit quę uult. Si enim (ut Paulus ex Arato refert) in Deo uiuimus, mouemur, ſumus: certè uoluntas quoq; noſtra ex Deo eſt, uiuit, mouetur: ita quidem, ut ultro ac libens uelit, aut nolit, quæcunq; uult, aut non uult. Hæc de libero arbitrio. Reliqua quæ addita ſunt, una ratione perſoluuntur. Cùm enim Deus ſit rerum omnium cauſa prima, ordinauit tamen cauſas ſecundas per quas ageret, & effectus produceret: non quin ipſe potens eſſet efficiendi ſolus quod uellet: ſed ut entitatem ſuam, ita bonitatem cõmunicaret cum creaturis, cùm in rebus alijs, tum in efficiendo. Fit itaq;, ut aliud ſit quod ex ſemine hominis generantis proferat: aliud ex bouis, aliud ex equi, aliud itẽ & aliud ex rerum aliarum ſeminibus producat in hanc lucem. Neq; uerò hæc prouidentiæ amplitudinem effugiunt. Qui enim effectum conſtituit, ea quoq; quibus effectus ille produceretur non omiſit, multaq; ſuæ prouidentiæ organa eſſe uoluit. Præſcripſit ille quid nobis agendum ſit: ſed idem uult nos ueſci pane in ſudore uultus noſtri. non igitur ſeparanda ſunt quæ ille coniunxit: ſed arandum, & omnia agenda, ut benedictio Domini fœcundet terram. Ipſe enim per Prophetam dixit: beatum eſſe, & bene illi fore, qui manducet laborem manuum ſuarum. Idem & conſilia rei alicuius efficiendæ, & medicinas ſanitatis recuperandę, & precationes impetrandi quod uellemus inſtituit. Pollicitus erat Abrahamo, fore ut ex Iſaaco ei denominaretur progenies: cuius ſtirpem ad ſtellarum cœleſtium & arenarum littoris maris numerũ aucturus eſſet. Hoc igitur prouidentia Dei & promiſsione erat conſtitutum, ut Iſaaci progeniem eſſet incredibiliter propagaturus. An propterea Iſaaco Deus nõ erat rogandus, ut promiſſa ei perſolueret: Imò ille plerunq; omnia, contrà ac pollicitus eſt, accidere ſinit: &

Gen. 21. & 22.

nit: & promissa nemini facit, nisi precibus multis exoratus. Dederat Isaaco uxorem sterilem. Quid magis contrarium fœcunditati promissæ? & tamẽ ut Rebecca conciperet, Isaac Deum precibus (ut Moses narrat) exora- *Gen. 25.*
uit. Pulcherrimum est præceptum quod Raphael angelus tradit Tobiæ iuniori, cùm eum monet ut Saram funeribus septem uirorum in uulgus infamem, sed tamẽ diuinitùs sibi promissam, ducat in matrimonium. Vbi *Tob. 6.*
(inquit) in cubiculum cum ea introieris, per tres dies ab ea te abstinebis, & nihil aliud quàm precibus cum ea uacabis. Sumito cor piscis, & inde suffitum facito. Quo olfacto, dæmõ puellam fugiet, nec eam unquam postea repetet. Cùm tibi cum ea congredi libebit, surgitote de lecto, Deumq; suppliciter oratote, ut sua in uos clementia & medicina utatur, puellæq; medeatur: ex qua liberos mares procreabis. † Sed metum abijce. nam ea tibi † *Hæc in uulgari editione Latina nõ extant. Sed Theologi Tigurini & Castalio nobis ex Hebraica ueritate prodiderunt.*
destinata est ante orbem conditũ: eamq; tua opera Deus à dæmone uindicabit. Hactenus angelus. Quis igitur non uidet, Dei prouidentia precum sedulitatem & bonarum actionum exercitium minimè tolli? Erat Sara ab æuo condito Tobiæ uxor destinata: & tamen & ille & illa iubentur matrimonium suum precibus commendare Deo immortali. Erat & illud in fato diuino, Saram à dæmone liberatum iri. Et tamen iussu angeli Tobias suffimento utitur, dæmone propellendo. Quid iter illud à Tobia susceptum, an Dei prouidentiæ aduersum erat? Scilicet Tobias uterq; cessant in studijs & operibus? Expectant ocioſi, ut quod Deus ex æternitate definiuit, id eis eueniat? Non sinit sibi medicinam adhiberi pater, ut abacta cæcitate uisum recuperet? non obtemperat præceptis Raphaelis filius, nec Saræ opitulando, nec diuinam clementiam implorando, ut sibi contingat felix matrimonium? nimirum hæc omnia ante res conditas pro-

missa illis sunt à Deo ueraci, qui neminẽ frustretur promissis suis. Illi uerò prouidentiæ Dei rebus in omnibus strenuè subseruire non dubitabant. Nihil operum relinquebant, quibus numinis fauorem sibi demererentur. Precationibus instanter uacabant: de suo aliorum egestatem sustentabant: medicinam à Deo creatam non negligebant: consilia cùm de rebus alijs, tum de itinere probè conficiendo captabant: denique uocationem & electionem suam satagebant, ut modis omnibus ratam efficerent: nec quicquam eis in omni uita antiquius erat, q̃ ut Deo fidentes rectè facta obirent ad usus necessarios. Quid multa? Christus testatur, Deũ scire quibus rebus opus habeamus. Et tamẽ hortatur discipulos suos ad orandum. Non igitur præscientia & prouidentia Dei orationes tollunt. Conclusiones igitur illæ, quibus uel orationes, uel consilia, uel medicina, uel similia tollantur, prouidentiæ diuinę prætextu, nõ secus se habent, quàm si dicas, non comedendum esse ut nutriamur, non arandum ut terra fructificet, non ambulandum ut ad locum aliquem perueniamus: quòd siue illa omittantur, siue non, tamen quod Deus præuidit fore, id fiat necesse est. Quòd si hæc captiosa sunt, non minus & illa. omnino enim, ut diximus, Deus finem præstituendo, simul & media quibus illum nanciscamur, præstituisse putandus est, ita nihil erit, quod ad diuinæ prouidentiæ uim non referatur.

Tertia.

Validissimum est illud argumentum, quod etiam uirorum prudentium mentes ad Dei prouidentiam uellicandam impellat. Si Dei prouidentia omnia fiunt, bonis bene, malis male fiat necesse est. Id enim iusticiam decet, & prudentiam diuinam, quæ cum eius prouidentia coniuncta sunt: ut cuiq; det pro meritis, bonis bona, malis

malis mala. Cùm autem exemplis infinitis iam inde ab orbe cõdito ostendi possit, contrarium persæpe accidisse, ut mali bonis omnibus affluerent, boni calamitatibus subiecti essent: casu id potius accidisse uidetur, quàm Dei ulla prouidentia. Est hoc (fateor) argumentum explicatu difficile: uerùm piæ mentis est, cœlestibus oraculis assentiri, & in illis acquiescere. Suprà enim palàm fecimus, uerbis Dei prouidentiam eius omni ex parte confirmari. nec quia nobis ignota est causa uarietatis tantæ, ideo neganda est Dei prouidentia. Exclamat sapiens ille Hebræus, nescire hominem amore an odio dignus sit. Lazarus morbis affligitur, inedia enecatur: diues ille splendidè uestitur, quotidie epulatur. Nec ille propterea odium erga se Dei, nec iste amorem constituere potest. Igitur miseriæ & afflictiones huius temporis, copiæ & commoditates quæ in hac uita percipiuntur, in argumentum trahi non debent, Dei erga nos amoris aut odij. Sed res futuri seculi bonæ uel malæ, manifestè declarabunt quàm propitium aut infestum habeamus Deum. Ideo ait Abraham ad diuitem, iam cruciatum ignis æterni perferentem: Memento fili, & te bonis tuis in uita tua, & Lazarum malis defunctum esse. Nunc & hic in solatio, & tu in dolore es. Et Paulus ait, eos qui spiritus primitias haberent, intra seipsos gemere: adoptionem expectantes, liberationem nostri corporis. Non igitur ex euentis rerum qui in hac uita accidunt iudicari potest, quis gratus, quis inuisus Deo sit: nec ex eis prouidentia Dei neganda, quę multis clarissimis argumentis, & diuinis oraculis, suprà adductis confirmatur. Iam si quæras, cur fiat ut pari multorũ culpa existente, alij præsenti pœna plectantur, alij impuniti relinquantur? Sic ad montem Syna cunctus populus uituli adoratione idololatriæ reus erat: sic enim scribitur in Exodo: Percus-

Luc. 16.

Rom. 8.

sitq; Dominus populum pro reatu uituli, quem fecerat Aaron. Et tamen cùm rei essent omnes, non omnes percussi sunt. Tantùm enim tria millia de populo, eo die cæsa fuêre à Leuitis iussu Mosæ. Id ex eis quæ suprà cap. 2. scripsimus de Galilæis, & casu turris Silountanæ interfectis, soluí potest. alios enim pœna peccati mox consequitur, iusto Dei iudicio, qui ut actionibus bonis præmia, ita malis pœnas constituit. alijs parcitur, ut exemplo admoniti resipiscant, & ad mentem probam sese reuocẽt. Si faciant, misericordiam Dei experiuntur: si minus, nõ illis pœna remissa est, sed dilata, quam uel in hoc, uel in futuro seculo luere eos necesse est. Sic uisum est prudentiæ diuinæ, cuius cõsilia imperscrutabilia sunt. Et tamen illud certissimũ, Deo gubernãte hæc omnia fieri.

Quarta.

Quærunt amplius, unde sunt tot mala in genere mortalium? Si à Deo, Deus erit causa mali. Si non à Deo, non erunt omnia subiecta prouidentiæ Dei. Ego uerò uideo esse in sanctis Biblijs loca, ubi Deus causa mali esse dicatur. Amos 3. An est in ciuitate malum quod Deus non fecerit? Esa. 45. Ego Dominus, formans lucem & tenebras: faciens pacem, & creans malum. Sed enim mala pœnæ, quæ ob peccata hominibus à Deo immittuntur, intelligenda esse, Augustinus est author, qui contra Adimantum Manichæi discipulum, cap. 26. citatis uerbis Amosi prophetæ, addit hæc uerba: Malum hoc loco non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum: unum, quod homo facit: alterum quod patitur, pœna. Diuina autem prouidentia cuncta moderante & gubernante, ita homo malefacit, quod uult: ut malè patiatur, quod non uult. Deinde capite 27. adductis uerbis Esaiæ, confert illa cũ uerbis Pauli Rom. 11. illis: Vides ergo seueritatem Dei in eos qui ceciderunt,

runt, bonitatem in eos qui perseuerant in bonitate. In hoc, inquit, sermone Apostolico satis apparet bonitas Dei, secundum quam dixit Esaias: Ego sum Deus qui facio pacem: & seueritas, secundum quam dicit: Constituo mala. Ex his Augustini uerbis satis intelligitur, quòd cùm mala à Deo procedere dicit Scriptura, non peccata, sed bella, pestes, famem, grandines, uredines, pruinas, cæterasq; huiusmodi afflictiones & calamitates intelligit. Hæc em̃ sunt pœnę peccati, quę à Deo fiunt: nō peccata, quæ à diabolo ab & homine. Christus ipse de diabolo dicit, eum mendacem esse, & patrem mendacij. Euangelistæ quoq; affirmant diabolum mentem Iudæ iniecisse, ut IESVM proderet. Paulus autem de homine ait, per eum intrasse peccatum in mundum. His obijciuntur loca ex Scripturis, quibus significari uidetur, Deum esse causam peccati. Rom. 1. Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium suorum in impuritatem. Tradidit eos cupiditatibus ignominiosis, & in sensum reprobum, ut facerent quæ non conuenirent. Quid autem est hominem peccatorem tradere cupiditati & peruersitati cordis sui, nisi eum dedere peccato, & quasi mancipare? Improbant quidam hanc interpretationem, ex qua sequatur Deum esse authorem & causam peccati. Itaque uerbum Tradendi interpretantur per id quod est Siuit, uel permisit. Sic enim Dauid facit Deum loquentem Psalmo 83. Non paruit populus meus uocimee, & Israel mihi non obtemperauit: Permisi igitur eos in prauitatem cordis illorum, & ambulauerunt in consilijs suis. Alij aiunt, Deum quidem causam peccati esse: sed ita, sicut sol tenebrarum causa dicitur, quæ recessu eius in aere existunt, accessu euanescunt. Ita cui Deus gratiam suam non tribuat, eum in peccata ruere necesse esse. Solam enim gratiam Dei esse, qua peccata uitentur.

Ioan. 13.
Luc. 22.
Rom. 5.

tur. Vtraq; hæc interpretatio alijs non probatur. Prior quidem ex eo, quia posita illa permissione, Deus non satis à peccato excusaretur. Quid enim est permissio eius qui potestatem habet prohibendi, ac in manu eius res est, quàm uoluntas? Qui permittit eum ruere quem seruare posset, nónne causa est ruinæ illius? De permissione quidem ipsa quæstio est, an fiat Deo uolente, an nolente? Secundum dici non potest: nam nolente Deo nihil fit. Quod si Deo uolente fit, certè cum Dei uoluntate erit coniuncta. Altera quoque interpretatione Deus minimè à peccato uindicaretur. Nam si natura nostra eiusmodi est, ut Deo spiritum suum subducente nihil aliud quàm peccare possit. Deus subducēs gratiam suam, peccati insons minimè erit: nimirum qui, si uellet, posset non subducere spiritum illum, qui solus efficit peccatorum uitationes. Simpliciter igitur dicendum esse uidetur: Deum non tantùm subducere gratiam suam homini peccatori, sed & uitiatam eius naturā mouere. Quod Augustinus in lib. de grat. & lib. arb. cap. 21. multis testimonijs sanctarum literarum confirmat. ac sic tandem cōcludendo dicit: Deum operari in cordibus hominū, ad inclinandas eorum uoluntates quocunq; uoluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum: idq; iudicio suo interdum aperto, interdum occulto, semper autem iusto. Sic ille.

Est autem obseruandum, Deum aliter agere bonos, aliter malos. Bonos gratia & spiritu suo imbuit, ut rectè faciant, sicq; eos præparat ad gloriam. Malos ita mouet, ut ab eis sit principium malorum operum, & nō ab ipso Deo. Corruptio enim natiuæ naturæ nostræ non uenit extrinsecus, sed hæret in uisceribus nostris. Peccant igitur impij nō coacti, sed uolentes, & sponte sua: atq; ideo ob peccata sua iustè affliguntur. Non tantùm autem

Theolo-

Theologi, ſed & Philoſophi fatentur, Deum, cùm ſit actus purus ab omni potentia remotus, ſemper agere & mouere omnia, nec ſinere quicquam eſſe ocioſum. Agere autem ipſum quamq; rem pro conditione illius, aliter inanima, aliter animata: animatorum autē aliter bruta atq; rationalia, horum uerò aliter bonos atq; malos. Et ſicut eques bonus regit equos ſuos, omnes quidem illos, ſed eos qui ualidi ſunt & firmis cruribus, commodè & ſtrenuè: alios autem qui ſunt debiles & claudi, incommodè, & cum claudicatione: quæ claudicatio non equitis, ſed equi claudi uitio fit: nec tamen ea cerneretur, niſi equus ab equite agitaretur. Ita Deus agit omnes homines, qui acti agunt, quiſq; prout affectus eſt, bonus bene, malus male. Hoc autem modo Deus in Scripturis dicitur impios excæcare, corda eorum indurare, Prophetas decipere, ſpiritum erroris eis immittere, ut credant mendacio. Hinc autem tyranni & homines facinoroſi uocantur uirgę Domini, ſecures, mallei, gladij. Paulus quidem de prædeſtinatione tractans, de uaſis duplicis generis loquitur, quorum altera ſint miſericordiæ, altera iræ. Quo in loco uaſa (authore Auguſtino) idem ſunt quod inſtrumenta. Quòd ſi homines ſunt tanquam inſtrumenta in manu Dei, nihil igitur poſſunt per ſe ipſi. Quicquid agunt, Deo mouente agunt, dirigente & applicante, ad quodcunq; illi libuerit. Et de uaſis quidem miſericordiæ, clarè dicit Paulus, quòd Deus ea præparauerit in gloriam: de uaſis autem irę, apparata eſſe dicit in interitum. à quo id fiat, non meminit. Ex uerbis autem Dei ad Pharaonem, quæ poſt Moſen recitat Paulus, liquidò apparet, unde ſit hæc apparatio. Iccirco te, inquit, excitaui, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & annuncietur nomen meum in uniuerſa terra. Salomon autem: Omnia, inquit, propter ſemetipſum creauit Deus,

impium quoq; ad diem malum. Ad hęc de duobus nondum natis illud ex oraculis Dei citatur à Paulo: hunc amaui, illum odi. Hunc igitur figulum noſtrum in ſua fictilia ſibi hanc ſumere poteſtatem, conſtat. Nam etſi impij ſponte ſua peccant ob corruptelam & prauitatem ingenitam: tamen prouidentiam Dei uitare non poſſunt, quin eis utatur ut inſtrumentis cõſilij ſui. Sic Iudas quæſtus cauſa uendens Chriſtum, æterno Dei conſilio inſeruiuit, ut traditio illa Chriſti eſſet pro ſalute generis humani. Quamobrem qui dicunt impios ſeipſos aptare ad interitum, excluſa prouidentia Dei: perinde dicerent uaſa non à figulo, ſed à ſeipſis fingi. Pendent enim hæc omnia ex ſimilitudine à Paulo adducta de figulo.

Hinc autem quæſtio exiſtit, An Deus uelit peccatũ? Quibuſdam uidetur, negari non poſſe quin uelit utcunque uel (ut alij loquuntur) permittat. Eum eſſe rerum omnium motorem primum: quibus non tantùm uim ſuppeditet agendi, ſed & ipſe eas agitet, inflectat, & ad fines deſtinatos dirigat. Hoc indicari illis uerbis, quibus Deus dicitur aliquem indurare, errare facere, immittere ſpiritus malos, dato nocendi præcepto. hæc autem, niſi Deo uolente, fieri non poſſe. Hæc reſponſio non placet, propterea quòd pugnet cum uerbis Prophetæ: Non Deus uolens iniquitatem tu es: Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: Simili ſunt odio Deo impius & impietas. Et certè ſi Deus peccatum uellet, uitari non poſſet quin iniuſtè illud puniret: nimirum quod ipſius uoluntate admitteretur. Dicendum eſt igitur, Deum non uelle impietatem: omniaq; opera quæ uult, bona eſſe, pia & iuſta. Cùm enim Deus ſummum bonum ſit, nihil uelle, nihilq; poteſt efficere niſi bonum. Etſi autem multa ſint mala in orbe terrarum, quæ & ipſa ab effectrice Dei prouidentia eximi non poſſunt (omnia enim Deus

Pſal. 5.
Sap. 14.

efficit

efficit ex consilio uoluntatis suæ, Eph.1.) non tamen inde sequitur, Deum esse peccati causam, aut uelle peccatum, aut eo delectari: sed in omni opere, quantumuis malo, secernenda est actio Dei ab actione diaboli & hominis mali. Et sunt quidem tam diabolus q̃ homo ipsius instrumenta Dei: uerùm quia sunt creaturæ animatæ & rationales, habent proprias actiones. Sunt itaque & instrumenta per quæ Deus operatur, & causæ. Quatenus instrumenta sunt, & à Deo aguntur, opus eorum bonũ est. Quatenus causæ sunt, & motu suo agunt, opus eorum malum est. sicut inquit Christus: Mala arbor non potest bonum fructum edere. Nónne Christi traditio, ut à Deo est per Iudam tanquam instrumentum, bona est: nam est propter salutem fidelium. Et tamen eadem bona non est, ut est à Iuda: qui partim odio, partim auaricia ductus, prodidit magistrum suum. Priore modo Iudas instrumentum est: posteriore, causa. Ad hunc modum de carnifice dici potest, cũ iussu magistratus interficit facinorosum. Quod quidem opus ad duo principia referri potest. Ad magistratum, tanquam causam primam, cuius instrumentum sit carnifex. atq; hoc modo cædes facinorosi bona est. Quòd si referat ad ipsum carnificem qui agit motu interiore & suo, tum carnifex causa est cædis. Itaq; si iustitiæ exequendæ causa facit, cędes bona est, & laudabilis: sin odio uel alia praua cupiditate impellitur ad cædem, uitare non potest quin reus sit homicidij. Ita opus idem propter duplicem respectũ & bonum est, & uitiosum: illo modo laudandum, hoc modo uituperandum. Eodem modo de Deo diximus: qui quamuis omnia uult & facit quæ fiunt: non tamen omnia ita uult & facit, ut instrumenta uolunt & faciunt. Non igitur in Dei actione, sed instrumentorum est uitiositas omnis.

Hinc autem perſpicuum eſt, quid reſpondendum ſit de odio Dei in peccatum, & eos qui faciunt illud. Sic enim multi quærunt: Si Deus agit homines malos ad peccatum, facitq; eos uaſa in contumeliam, quomodo eos aut peccata eorum odio habet, & non potius amat? nihil enim odit eorum quę fecit. Sap. 12. Hunc nodum ſoluit Auguſtinus his uerbis: Quòd Deus ex numero impiorum quos non iuſtificat, facit uaſa in contumeliam, non hoc in eis odit quod facit: quippe in quantum impij ſunt, execrabiles ſunt. In quantum autem uaſa fiunt, ad aliquem uſum fiunt: ut per eorum ordinatas pœnas, uaſa quæ fiunt in honorem, proficiant. Non itaque odit Deus, nec inquantum homines ſunt, nec inquantum uaſa ſunt: id eſt, nec quod in eis fecit creando, nec quod in eis facit ordinando. nihil enim odit eorum quæ fecit. ſed tamen quod uaſa eos facit perditionis, ad uſum correctionis aliorum facit. odit enim in eis impietatem, quam ipſe non fecit. Sicut enim iudex in homine odit furtum, ſed nō odit quod datur ad metallum: illud enim fur, hoc iudex facit. Ita Deus, quòd ex conſperſione impiorum facit uaſa perditionis, non odit quod facit: id eſt opus perditionis ſuæ in pœna debita pereuntium, in qua occaſionem ſalutis illi quorū miſeretur inueniant. Sic Pharaoni dictum eſt: Ad hoc te excitaui, ut oſtendam, &c. Hæc demonſtratio potentiæ Dei, & annunciatio nominis eius in uniuerſa terra, prodeſt eis ut timeant, ut uias ſuas corrigant, quibus uocatio talis congruit. Sic ille. Hinc autem apparet, opus à deformitate ſecernendum eſſe: ut etiamſi opus ipſum à Deo proficiſcatur, deformitas ei nullo modo tribuenda ſit. Deus dicitur tradidiſſe pro nobis filium ſuum, Rom. 8 Neq; tamē traditio, Dei peccatum fuit, ſed Iudæ. Eſſe autē deformitatem ab actu diſtinguendam, cùm ex ijs quæ dicta ſunt patet, tum

Aug. ad Simpl. l. 1. q. 2. col. 630

Thomas

Thomas declarat his uerbis: Peccatum omne ex aliquo defectu prouenit proximi agentis, non autē ex influentia primi agentis. Sicut peccatum claudicationis prouenit ex indispositione tibiæ, non autem ex uirtute motiua: cùm tamen ex ea sit, quicquid de perfectione motus in claudicatione apparet. Proximum autem agens peccati humani est uoluntas. Est igitur defectus peccati ex uoluntate hominis, non autē ex Deo, qui est primum agens: à quo tamen est quicquid ad perfectionem actionis pertinet in actu peccati. Hæc Thomas. *Thomas cōtra Gent. lib. 3. c. 162. §. adhuc peccatum.*

Quod si quis amplius urgeat, fieri non posse quin Deus uelit eiusmodi deformitatem seu maliciam, utpote quo nolente, fieri non possit id quod fieri nolit. Hoc uerò Theologi referunt ad permissionem magis, quàm ad uoluntatē aut noluntatē (sic enim loqui necesse est) Dei. De qua quidem permissione differunt Sen. 2. d. 45. & 46. Deum respectu mali culpæ non habere actum positiuum, nec uolendi, nec nolendi: sed tantùm actum negatiuum non uolendi, qui sit indifferens, & promissionem significet. Illos permittere nō qui uelint aut nolint, sed qui non uelint prohibere. Sic ferè illi.

Alijs hæc permissio minimè probatur, qua posita aliquid uideretur agi in mundo uel Deo imprudente, qd' eius prudentiæ minimè conueniret: uel inuito, ocioso, non curante, quod ab eius potentia esset alienum. Augustini igitur sententia cōsideranda est, qui sic ait in Enchiridio cap. 100. Propterea namq; magna opera Domini exquisita in omnes uoluntates eius, ut miro & ineffabili modo non fiat præter eius uoluntatem, quod etiam fit contra eius uoluntatem. Quia non fieret, si non sineret. nec utiq; nolens sinit, sed uolens. nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo benefacere posset. Hæc ille. Videtur Augustinus particulis istis *Psal. 110.*

Præter uoluntatem, & Contra uoluntatem significare, in uoluntate Dei ſimplici quidem illa & unica, eſſe uolendi rationes diuerſas: quibus fiat, ut quod nolit ſimpliciter & abſolutè, id tamen uelit propter certum aliquem finem. Quod quidem & in rebus humanis accidere, nõ obſcurum eſt. Mercator procelloſo mari aduehens merces ſuas, ſimpliciter illas ſeruare uult, & ad portum adducere. Verùm ne in periculum uita eius cũ naui ueniat, ſeruare eas nõ uult: atq; ideo ex naui eijcit in mare, ut incolumis ipſe euadat cũ naui. Bonus magiſtratus neminem ciuium ſuorum (quorum ſalutem ſcit ſibi commiſſam eſſe) interficere uult, uerùm ſi quis latro ſit, eum uult interfici: ut hoc exemplo & ſcelus uindicetur, & cæteri à delictis deterreantur. Ad eum modum uetat Deus hominem occidi: & tamen filios Eli occidere uoluit, ut narrat hiſtoria 1. Reg. 2. Damnat quoq; omnem conſpirationem hominis in perniciem innocentis. Et tamen Ioſephum uoluit fratrum perfidia uendi, ac in Aegyptum peruenire. Hoc & ipſe Ioſeph teſtatur, his uerbis fratres alloquendo Gen. 45. Non uos eſtis, ſed Deus, qui me præmiſit, ut uos alerem. Damnat adulteros & inceſtuoſos: & tamen inceſtu Abſalonis uoluit Dauidis adulterium punire. Sic enim dicit 2. Regum 12. En ego ſuſcitabo aduerſum te malum de domo tua, tollamq; uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo qui dormiet cũ illis in oculis ſolis huius. Tu feciſti occultè: Ego autem coram toto populo, & corã ſole facturus ſum. Damnat Deus latrocinium: & tamen uult ut prædones Iobum uexent, pecora eius abigant, camelos abripiant. Cùm enim Satan poſtularet à Deo ut manum inijceret in Iobum, & eum affligeret, ſic Deus reſpondet Satanę: Ecce permitto arbitratui tuo quicquid poſsidet. Deo igitur permittente impulſi ſunt Sabæi, ut irruerent in fortunas

Iobi.

Iobi. Et ideo Iobus dicit: Dominus dederat, Dominus abstulit. Laudetur nomen illius.

Ex his autem perspicuum est, uerum esse quod Augustinus dicit, multa fieri contra uoluntatem Dei, quæ tamen non fiant præter eius uoluntatem. Contra Dei uoluntatem est perfidia, plagium, incestus & raptus rerum alienarum: & tamen non sine Dei uoluntate facta esse à filijs Iacobi patriarchæ ab Absalone Dauidis filio, à Sabæis, uerbis sacræ Scripturæ ostendimus. Hoc autem est quod ab alijs tradi diximus, uoluntatem Dei bifariam usurpari, aliquando de ijs rebus quæ simpliciter Deo probentur, aliquando de ijs quæ non nisi præter certum finem ei placent. Primo modo Deum uelle quæ lege præcepit, nolle quę uetuit, de eoq; Christum loqui: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei. Itaque oramus: Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Secundo modo, Deum uelle multa à se uetita, non quidem simpliciter: sed quatenus per ea uel bonos explorat, castigatq;: uel malos ulciscitur, peccata peccatis puniendo. Ideo ex Palæstinis excitauit eos qui occiderent filios Heli. Hi enim patris dicto audientes non erant, quod eos Dominus uolebat occidere, 1. Reg. 2. Memorabilis est prosopopœia in libro Iob, in qua describitur colloquium Satanæ cum Deo, petentis facultatem affligendi Iobum. Itaq; afflictus est Iob & à diabolo perdendi cupido, & à Sabæis & Chaldæis prædæ inhiantibus. Verumtamen non sine permissione ac nutu Dei, in quem ipse Iob refert calamitatem in se immissam: Dominus (inquit) dedit, Dominus abstulit. Finis igitur quem Dominus in latronum præda spectabat, erat, ut Iobum patientiâ exerceret: in incestu Absalonis, ut adulterium Dauidis puniret: in plagio fratrum Iosephi, ut eum præmit-

mitteret in Aegyptum, qui famis tempore incolumitati totius domus ſuæ proſpiceret. Nec igitur plagium, nec inceſtum, nec latrocinium Deus probat, ut ſunt legis diuinæ tranſgreſsiones, uiolationes ſocietatis humanæ, offenſiones charitatis mutuæ: uerùm ut per ea exequitur conſilia ſua, uel ſceleratis uindicandis, uel electis ſuis patientia explorandis: in humilitate & modeſtia, dum affliguntur, cõtinendis, in perſeuerantia confirmandis. Hæc ſunt illa mirabilia Dei conſilia, quibus ex tenebris elicit lucem, & quaſi ex ſpinis producit roſas. Hæc illa bonitatis & omnipotentiæ coniunctio, ut nihil ſinat malefieri quod non in bonum cõuertat. Quod ſic Auguſtinus in Enchiridio: Deus (inquit) omnipotens, cui rerum ſumma eſt poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, nullo modo ſineneret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi uſq; adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo. Hæc ille. Et hæc de uoluntate Dei bifariam uſurpanda: nempe pro ratione rerum expetendarum, quarum aliæ ſimpliciter, aliæ cum aliqua adiunctione expetantur.

Alij tollendis locis diſsidentibus, de quibus dixi, utuntur diſtinctione uoluntatis patefactæ & arcanæ: illam in oraculis Dei extare, quibus credenda proponuntur, facienda iubentur, contraria uetantur: hanc in rationibus cerni conſiliorum & factorum Dei, quæ profert in rebus ſingulis adminiſtrandis, nec à nobis niſi in euentu perſpicitur. Neq; uerò cuiquam abſurdum uideri debet, Deo quædam arcana eſſe quę nobis celentur. Quamuis enim de rebus agendis, uitandis, credendis, omnia nobis à Chriſto, Prophetis & Apoſtolis prodita ſunt: tamen quid unoquoque futurum ſit, non adhuc prolatũ eſt. Multa Deus retinet ſuo tempore patefacienda. Chriſtus ipſe dicit ad Hieroſolymitanos: Quoties te congregare

gare eos? Certè: nam & doctrina & miraculis & uitæ cõ uersatione eos ad se inuitabat: & hæc est uoluntas eius aperta. Cur autem non omnes congregauit? Quia non uoluit. nam si uoluisset, congregasset: omnia enim quæcunq; uoluit Dominus, fecit, inquit Dauid. Erat igitur alia uoluntas Dei occulta, qua non omnes uolebat congregari. Etsi enim omnes ad se inuitabat uerbo externo: tamen illos tantùm congregauit, quos non uerbo tantũ, sed spiritu suo efficaciter ad se attraxit. Atq; hæc Dei sunt consilia & iudicia inscrutabilia, quæ intuitus Paulus sic exclamat: O' profundas diuitias sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uię eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Hoc autem sensisse uidetur Augustinus, dum dicit multa esse contra uoluntatem Dei, quæ tamen non sint præter eius uoluntatem. Nemo tamen putet Dei uoluntatem multiplicem esse: sed ut Deus ipse, ita uoluntas ipsius simplex & unica ut sit oportet. Verumtamen pro captu ingenij nostri bifariam nobis eam proponi oportebat: quòd ad arcana eius iudicia aliter penetrare non possumus. In quibus peruestigandis, Paulus ipse exclamare cogitur. O' profundas diuitias, ò uias imperuestigabiles, ò iudicia inscrutabilia, ò sensum Domini incomprehensibilem. Neque uerò nos sumus ij qui ea scrutari uelimus: sed quæ Scripturis præeuntibus consequi possumus, ijs insistimus. Quæ tamen à multis Theologis ante nos prodita sunt, cùm ad loca Scripturarum quæ contraria uidentur concilianda, tum ad Dei bonitatem ab omni iniquitate asserendam: nos, quæ ab alijs copiosè & ornatè explicata sunt, ut potuimus delineauimus. Quæ si cui placent, bene est: sin minus, curet pro se meliora.

CAPVT IX.

Argumenta contra prædestinationem soluuntur, & in primis quæ pro tertia opinione adducta sunt: quæ tandem cum prima opinione conciliatur.

SEquitur, ut materia prędestinationis absoluenda sit, ac argumentis contrariarum sententiarum respondeatur. Tertia sentẽtia, quam mediam diximus, à prima non multum discrepat. utraque uera est: sed prima magis exhaurit quæstionem. Verba Dei sunt ad Israelitas: Tua est perditio Israelita, in me solo est auxilium tuum. Audio. Certè enim in toto hominum genere nihil aliud quærendum est, quàm sua pernicies. Nam in iniquitate concipiuntur, & in peccato nascuntur omnes. Vnde igitur aliquorum salus, nisi ab eo qui dicit, à se solo esse auxilium illorum? Et hoc est quod tertia opinio dicit. At quæstio restat: Cur alijs auxilium suum fert Deus, alijs minimè? Hoc prima opinio explicat: Quia ita ei libet, ut cùm eodem modo rei teneantur omnes, alijs tamen misericordiam suam tribuat, alijs minimè: illos amet, istos odio habeat. Neq; uerò de eo unquam quisquam dubitauit, Deum infligere pœnas superioribus peccatis: eósque in sensum tradi reprobum, & in cupiditates ignominiosas, qui Deum cognitum non timeant, nec reuereantur. Verumtamen id nihil impedit, quo minus improbi omnes iam inde ab initio, exitio fuerint destinati. Itaq; quod Moses dicit Deum obdurasse cor Pharaonis: obduratio hæc iustè Pharaoni immissa est. Tot enim prodigijs ad resipiscentiam uocabatur, ut confessus fuerit Mosi se peccasse. Verùm cũ uocatus, ad sanam mentem redire nollet, Dominus gratiæ suæ contemptum, contumaciam,

maciam, & alia ipsius scelera, ultus est excæcatione ipsius. Quod cùm à Mose proditũ est: tum ipsum in hoc excitatum à Deo fuisse, & ab eodem Mose minimè prætermissum est, & à Paulo luculenter enarratũ. Ad hunc modum Paulus cùm peccata hominum arguat, Deiq; iustitiam ab hominum calumnijs uindicet: tamen interea non reticet, fuisse uasa iræ ad interitum aptata. Christus quoq; impios culpa sua perituros ubiq; docet: sed simul eos arbores dicit esse, quæ manu patris plantatę nõ sint, & ideo eradicandas. Quod igitur obijcitur de ludæorum infidelitate & offensione in Christo tanquam lapide, uerè quidem dicitur. At quæstio supereſt, cur qui eadem malicia inuoluti sunt, alij ad fidem perueniunt, alij increduli manent? Paulus solum Dei beneplacitum causam dicit esse huius discriminis. Et ideo eo in loco, ubi de infidelitate & offensione Iudęorum dixit, ne quis putaret æternam Dei prædestinationem, de qua prius concionatus est, labefactari: subiunxit, dona & uocationem Dei sine pœnitentia esse: hoc est, irrita non esse, sed reliquias secundum electionem gratiæ seruari. Quibus uerbis exiguum quidem numerum electorum præ innumera turba impiorum significat: sed tamẽ stabilem & firmam manere electionẽ, quæ ex Dei gratuito dono pendeat. Ideo subdit: Quid ergo? Quod quærit Israel, non est assecutus: electio autem obtinuit: reliqui uerò excæcati sunt, quemadmodum scriptum est: Dedit illis Deus spiritum cõpunctionis, oculos ut non uideant, aures ut nõ audiant, usq; in hodiernum diem. Hæc Paulus, testimonio ex Esaia uate adducto. Lucas etiam in illa multitudine hominũ Pauli doctrinam audientium, eos dicit credidisse, qui erant sempiternæ uitę destinati. Ioannes autem, expositis concionibus Christi, & prodigijs apud Iudæos factis, tandem subdit: Sed quamuis

Rom. 9. Matth. 15. Act. 13. Ioan. 12.

tot in eorum conſpectu oſtenta feciſſet: tamen ei fidem non habebant, ut illud ab Eſaia uate dictum fieret, cùm ait: Domine quis credidit orationi noſtræ, & Domini brachium cui patefactum eſt? Ideo credere nō poterāt, quod item dixit Eſaias: Eorum & oculos excæcauit, & animos ſtupefecit, ne oculis uideant, & animo intelligant, ad frugemq; redeant, atq; eos ego ſanem. Infidentiam Iudæorum ad oraculum Prophetæ refert, quod ille edidit, Dei prædeſtinatione fore ut Iudæi non crederēt. Huius rei cauſam eſſe, ſimplicem Dei uoluntatem, Thomas Aquinas affirmat: cuius uerba ex lib. contra Gen. 3. cap. 161. citaui in lib. de Libero arb. cap. 5. obiectione 15. Auguſtinus autem in lib. de Bon. perſeu. cap. 8. oſtenſo non eſſe in poteſtate noſtra, nec cor noſtrum, nec cogitationes noſtras, nec ut ſimus filij Dei: totumq; id Dei eſſe, qui det cordi noſtro cogitationes pias, per quas habeat fidem per dilectionem operantem: ſufficientiamq; noſtram omnem ex Deo eſſe, qui poteſtatem nobis det hoc bonum ſumendi, tenendi, & in eo perſeueranter uſque ad finem proficiendi: hoc inquam oſtenſo, quærit de triplici hominum genere. Primùm de duobus paruulis originali peccato æqualiter obſtrictis, cur unus aſſumatur, alter relinquatur? Deinde, de duobus iam ætate grandibus impijs, cur unus uocetur, & quidem uocatus ſequatur: alter, uel non uocetur, uel non ita uocetur ut ſequatur? Poſtremò, de duobus pijs, cur unus donatur perſeuerantia uſq; ad finem, alter non donatur? Reſpondet numerò: INSCRVTABILIA SVNT IVDICIA DEI. Illud tamen, inquit, fidelibus debet eſſe certiſsimum, illos eſſe ex prædeſtinatis, iſtos non eſſe. nam ſi fuiſſent ex nobis (inquit unus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc ſecretum) manſiſſent utique nobiſcum. Quid eſt quæſo hoc uerbi? Nónne utriq;

à Deo

à Deo creati, ex Adam nati, de terra facti, eiusdem naturæ animabus præditi, baptizati, renouati, uocati, uocantem sequuti, ex impijs iustificati? Vera hæc sunt: secundum hæc omnia erant ex nobis, diceret Ioannes: uerùm secundum aliam discretionem non erant. Quæ est ista discretio? non erant ex eis, quia nō erant secundum propositum uocati: non erant in Christo electi ante constitutionē mundi: non erant in eo sortem consecuti: non erant prædestinati secundum propositum eius, qui universa operatur. nam si hoc essent, ex illis essent: & cum illis sine dubitatione mansissent. Hæc Augustinus, apud quem frequens est illa sententia: Cur erga hunc misericorditer, erga illum iustè agat, noli scrutari, si non uis errare. Non enim conuenit ut diuina uoluntas in controuersiam apud nos descendat, de qua quoties habetur sermo, sub ipsius nomine suprema iusticiæ regula nominatur. Quid ergo de iniquitate quæstio mouetur, ubi iusticia clarè apparet?

Multi in Scholis laborant hoc loco, separando reprobationem affirmatiuam à negatiua. Illam dicunt respicere ad punitionem, cùm Deus uult mulctare aliquē morte æterna: hanc ad negationem gratiæ, cùm non uult misereri, gratiámue dare alicui. Illius causam esse in damnato, peccatum ipsum in quo moriatur: huius solum Dei beneplacitum, qui quorum uult misereatur, quos uult induret. Quid est igitur, quæret aliquis, quod Paulus ex oraculo Dei à Malachia enunciato, reprobationem ponit in eo solo, quod est odisse? Iacobū (inquit) dilexi, Esaum odio habui. Quem enim Deus reprobat, nisi eum quem odit? Quem autem odit, nisi cuius non miseretur, aut cui gratiam & misericordiam suam nō tribuit? Quid autem misericordiæ & gratiæ negationem sequitur, nisi peccatum? Quid porrò peccatum parit, nisi mortem?

quemadmodum Paulus dicit, Stipendium peccati mors est. Nihil igitur referre uidetur, affirmatiuè uel negatiuè accipi reprobationem: quandoquidem utranq; effectus idem consequitur, quamuis illam immediatè, hanc mediatè. Verumtamen Theologis hęc separanda uisa sunt, ne Deum sine culpa aliquem punire, concedere uideantur. Non enim per omnia ita se habere reprobationem ac prædestinationem docent. Prædestinationis nomine & gratiæ donatio intelligitur, quæ fons est bonarum actionum: & actiones quæ ex illa consequuntur bonæ, quibus ad gloriam peruenitur: & ipsa gloria, cui destinati sumus. In reprobatione etiam totidem insunt, & permissio cadendi in culpam, & ipsa culpa, seu peccatum, & pœna pro peccato debita, quæ diabolo & angelis eius parata est ab æterno. Non igitur sicut prædestinatio tota Deo adscribitur, nempe uitæ æternę præparatio cũ toto cursu ad eam, ita reprobatio tota Deo adscribenda est: sed eius primum & postremum, nempe nolle misereri, & uelle punire. prioris causa extra Dei beneplacitum quærenda non est, posterioris in solo hominis libero arbitrio est. Non enim propositum non miserendi, causa est quamobrem reprobi puniantur morte æterna: sed peccata eorum uel originalia, uel actualia. Itaq; negatiuam reprobationem Deo concedunt absq; ulla causa in reprobato, affirmatiuã non nisi causa existente in reprobato: nempe culpa quæ ex libero arbitrio existat, à Dei gratia deserto. Iniquum esset supplicio aliquem addici, nisi ob delictum: nõ iniquum autem, negare eidem hoc quòd illi minimè debeas. Cùm autẽ Deus nemini quicquam debeat, liberum illi est, huic misericordiam & gratiam suam tribuere, illi negare. Hac autem separatione affirmatiuę & negatiuę reprobationis, sententiæ contrariæ conciliantur. Qui enim in peccatore causam esse dicunt

cunt reprobationis diuinæ, de affirmatiua reprobatione loquuntur. Qui ad solum Dei beneplacitum reprobationem referunt, de negatiua sentiunt. Ita tertia sententia in gratiam (ut ita loquar) posita est cum prima.

CAPUT X.

Argumentis secundæ opinionis respondetur, & tandem eadem conciliatur cum prima.

VEniamus igitur ad eam quæ ordine erat secunda, quam fauorabiliorem esse priore, negare non possum. Nescio enim quo modo, quos prima negligentiores, hos hæc secunda diligentiores in officio facere uidetur. itaq; à multis doctis. Theologis superiore memoria defensa est. Nostris etiam temporibus magna asseueratione affirmatur ab Alberto Pighio, & Ioanne Maria Verrato, & alijs nonnullis. Verum quia prior sententia fundamenta firmiora, eaq; oraculis diuinis nixa habet, argumentis secundæ sententiæ ex ordine respondeamus, idq; breuiter.

1.

Deum esse patrem omnium quos condiderit, nemo negat: sed hominum specialiter, quos ad suam imaginem finxerit.

2.

Est autem suauis universis quos alat & foueat benignitate sua. Nulla est creatura quæ sit bonitatis Dei expers. Solem facit oriri super bonos & malos: pluit super iustos & iniustos. Quod si non omnibus dat omnia ex æquo, accusari non potest. Sicut dicit paterfamilias Euangelicus: Nónne possum de meo facere quod uolo?

3.

Nec; odit quicquam eorum quæ in nobis sua sunt: licet odit deformitatem, quæ aliunde quàm à Deo profecta sit. Augustinus, respondendo ad uerba illa (quæ sunt in libro

in libro Sapientiæ, cap. 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti) docet, naturam distinguendam esse à peccato. Omnis (inquit) creatura Dei bona est: & omnis homo, inquantum homo, creatura est, non inquantũ peccator est. Quemadmodum Ioannes suos uocat, ad quos Christus cùm uenisset, ipsi eum non receperunt: Christus autem eosdem dicit ex Deo nõ esse, quòd se non audirent. Contraria uidentur, Suos esse, & ex Deo non esse. Verùm alterum dictum est de hominibus, quos Dominus fecerat: alterum de peccatoribus, quos idem Dñs arguebat. Itaq; ijdem sunt & homines, & peccatores: sed homines conditione, peccatores propria uoluntate: illos amat Deus, istos odit. Non igitur Deus odit Esau hominem, sed odit Esau peccatorem. Si quis roget, an non eodem modo odisset Iacobum, qui & ipse peccato obstrictus sit? Respondet: Deum in eo dilexisse non culpam, quam delebat: sed gratiam, quam donabat. Christum pro impijs mortuum esse, ut eos iustificando pios faceret. Licet ergo Deus odio habet peccatum tam Iacobi quàm Esau, tamen non eodem modo: quod illius peccatũ adimat per condonationẽ, istius perimat per damnationẽ: quemadmodum iudicat esse faciendum illis iudicijs inscrutabilibus. Augustinus ad Sixtum ait, Deum non inuenire homines eligendos, sed facere. Contrà, iniquitatem eum non facere, sed damnare. Nec aliud, inquit, in Iacobo dilexit quàm suam gratuitam misericordiam. Esau autem odio habuit, quòd ei nollet misericordiam impartiri.

Aug. ad Simpl. l. 1. q. 2.

Aug. epist. 105.

4.

Sapiens alloquitur Deũ his uerbis: Misereris omnium, quia omnia potes: & dissimulas peccata omniũ, propter pœnitentiam. Sunt aũt hæc intelligenda de electis, qui agnita Dei misericordia resipiscunt: non autem de impijs,

Sap. 11.

prs, qui tantùm abest ut pœnitentia ducantur, ut in dies fiant deteriores.

5.

Quod Paulus in epist. ad Romanos dicit, Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur: id ad Galatas sic expressit, Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus. Non igitur Paulus numerum eorũ quibus Deus miseretur, exæquat cum illis qui sunt conclusi sub peccatum: nec salutem extendit ad omnes, sed docet misericordiæ Dei tribuendam esse salutem nostram. Itaque illud OMNIVM, ex Galatis, interpretandum est per uerbum CREDENTIVM. Rom. 11. Gal. 3.

6.

Et nemini quidem petenti Deus gratiam negat: sed petenti in ueritate. Prope enim est Dominus omnibus se inuocantibus in ueritate: Psal. 144.

7.

Cùm Christus ad se uocat omnes, munere ministri fungitur: cuius est prædicare Euangelium omnibus creatis. Cæterùm idem Christus alibi clamat, neminem posse uenire ad se, nisi trahatur à patre.

8.

Christus lux est, quæ omnem hominem illuminat lumine intelligentiæ. Etsi autem hæc lux omnibus lucear: tamen cæci eam non comprehendunt, quòd eam non colant, nec honore debito prosequantur. Verba igitur Ioannis nõ de regeneratione, aut electione, sed de creatione intelligenda esse uidentur. Quod si quis putat Ioannem de illuminationis gratia loqui, is uideat uniuersalitati hîc locum nõ esse: nam mox additur: Et mundus eum non agnouit: & sui eum non receperunt. Deinde apertè declarat, qui lucis huius participes sint: nempe

qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sint.

9.

Pauli sunt uerba 1. Tim. 2. Deus uult omnes homines saluos fieri. Quorum uaria interpretatio affertur. Aliqui de uoluntate Dei loquuntur duplici, antecedente & cōsequente. De priore aiunt uerba Pauli intelligenda esse, non de posteriore. Est autē antecedens uoluntas, quam & signi uocant, qua omnes ad salutem uocantur. omnibus enim lex Dei proponitur, qua doceantur quid faciendum sit ad uitam ingressuris, quid fugiendum. omnibus salutare Dei Euangelium patefactum est. quo uia ostenditur ad salutem perueniendi. Sed alia uoluntas est consequens, quam & beneplaciti appellant: qua non solùm uia salutis ostenditur, sed uis & facultas eius consequendæ suppeditatur. Hac uoluntate solos electos uult Deus saluos fieri: quos fide donat, ut credant Euangelio: efficitq; ut & uelint, & perficiant quæ ad salutem sint necessaria Hæc ferè de uoluntate Dei dicuntur. Alij uoluntate omissa, uniuersalitatem quæ per uocem OMNES significatur, considerandam putant. Et hi quidem diuisi sunt. Nonnulli non de singulis hominibus, sed de omnium hominum ordinibus intelligunt. Nemini enim ordo uitæ, in quo constitutus est (modò is non pugnet cum uerbo Dei) obest ad salutem. Iccirco etiam pro omni hominum genere Deus orandus est. Huius sententiæ author est Augustinus in Enchirid. cap. 102. Ad hunc modum dicitur omnia animalia fuisse in arca Noe: quia ex unoquoque genere fuerunt aliqua in eam collecta. Alij intelligunt, omnes homines qui seruentur, Dei uoluntate seruari. ut si quis, ostenso Isocrate diceret, Hic est qui docet Rhetorica omnes Athenienses: non intelligeret utiq;, omnes Athenienses doceri Rhetorica: sed, quicunque docerentur, ab Isocrate docerentur.

Hæc

Hæc Augustinus tradit ep. 106. Tertij aiunt, uerbis Paulinis, quæ citantur, addenda esse quæ mox ibidē adduntur. Hic enim est contextus: Deus uult omnes homines saluos fieri, & ad ueritatis cognitionem uenire. Eos igitur uult saluos facere, quos uult ad ueri cognitionē peruenire. Quòd si non omnes ueri participes fiunt, ne ad salutem quidem omnes aspirare poterunt. Fide enim ueritatis diuinæ percipimus noticiam, quæ non omnium est, sed electorum tantùm.

Hæ interpretationes reijciuntur à quibusdam magnis uiris, qui simpliciter intelligi uolunt Paulina uerba. Horum alius dicit, uerbis citatis coniungenda esse præcedentia, hoc modo: Exhortor uos fratres, ut fiant preces, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus. hoc enim Deo acceptum est, qui uult omnes homines seruari. At preces in Ecclesia fiunt nō tantùm pro omnibus hominum generibus, sed in uniuersum pro omnibus hominibus. Ergo & Deus omnes seruare uult. Alius uult hæc uerba intelligi debere perinde atq; illa: Per unum hominem mors peruenit ad omnes homines. Quod non de omni genere hominum, sed de omnibus hominibus intelligendum est. Tertius urget simplicem sensum, uerbis Petri istis: Deus non uult quenquam perire, sed omnes ad salutem reducere. Si neminem uult perire, omnes igitur ad uitam prædestinauit: ut si qui pereant, uitio' pereant suo, non Dei uoluntate. Hæc ferè sunt contradicentium. Ac de precibus quidem, quod prior sententia loquitur, intelligendum est, ideo præcipi ut fiant à nobis pro omnibus, quia nullius hominum, quamdiu uiuit, salutem desperare debemus. Nam etiam si quem peccatis quammaximè onustum uideamus, scire tamē debemus, in manu Dei positum esse, ut cor eius mutet, donetq; cum spiritu sancto. Quis morti æternæ ma- 2. Petr. 3.

gis deuotus uideri poterat, atq; latro ille, qui ob latrocinia in crucem unà cũ Christo suffixus erat: Et tamen cùm animam efflaturus esset, regno cœlorũ donatus est. Pro omnibus igit̃ quantũuis uitæ deploratæ, Deus orandus est. At interea non ignorandum est, non pro omnibus
1. Ioan. 5 efficacem esse orationem nostram. Est (inquit Ioannes) peccatum ad mortem: non pro illo dico ut oret quis. Quid est peccatũ ad mortem, nisi in quo quis moritur? Huic qui sit obnoxius, non ignoramus. Pro omnibus igitur sine discrimine Deum oramus. At Deus, qui scit qui sint sui, non ignorat qui tali peccato sint affecti. Nec igitur preces nostras audit pro illis factas, neq; eos seruari uult. Seruaret enim, si seruatos uellet: cuius uoluntati resistere nemo queat.

Quod secundo loco affertur ex capite 5. ad Romanos pro simili, prorsus est alienum à proposito. Comparat illic Paulus Adamum cum Christo. Ab illo quidem deriuari peccatum in omnes homines, qui ex eo propagentur: ac per peccatum, mortem. A Christo autẽ iusticiam donari omnibus qui regenerentur: ac ex iusticia, uitam æternam. Quid hoc ad uniuersalitatem? Certè Deus neminem glorificat nisi quẽ prius iustificet. Nemi nem igitur seruare uult, nisi quẽ prius ad ueritatis cognitionem perducat. At huiusmodi cognitio per fidem fit, quę non omnium est, ut uates dicit mirabundus: Quis credit orationi nostræ? Certè fides Dei donum est, quod non nisi electis contingit.

Petri uerba quæ postremùm adducta sunt, ad electos pertinere, uerborum contextus indicat. nam eos hortatur, ut patienter ferant tardiorem Christi aduentum. Non tardat (inquit) Dominus, qui promisit: (ut nonnulli tarditatem hanc esse ducũt) sed patiens est erga NOS, nolens quenquam perire, sed ad resipiscentiam omnes tendere.

tendere. Numerat se inter eos quos alloquitur: ad electos igitur sermonem dirigit. Quòd si quis urgeat uerba Pauli, quibus de agimus: ac contendat, Deum simpliciter uelle ut omnes seruentur: hîc uelim respondeat, cur tandem non omnes seruentur? Ecquis est qui resistat uoluntati Dei? Profectò aut Deus omnipotens non est, si eo inuito aliquis pereat: aut si omnipotens est, quicunque pereunt, eo uolente pereant necesse est. Atq; hinc apparet, nõ simpliciter uerba illa accipienda esse: sed interpretandis illis utendum esse, uel uoluntatis distinctione, uel uniuersalitatis aliqua restrictione.

Vt autem de propositionibus, in quibus est signum generale, dicamus, illud est obseruatum à uiris doctis, non semper eas in sacris literis uniuersè accipiendas esse: sed aliquas de solis electis, aliquas de reprobis. Ad electos illę pertinent: Omnia traham ad me ipsum: Vnusquisq; cognoscet me à minimo usq; ad maximum: De plenitudine eius omnes accepimus: In semine tuo benedicentur omnes gentes: Deus uult omnes homines saluos fieri. De reprobis item illæ: Odio eritis omnibus hominibus: Væ uobis cùm laudauerint uos omnes homines: Mundus eum non cognouit: Sui eum non receperunt. nam Mundus pro uniuersitate hominum, Sui pro Iudæis, ab Euangelistis usurpantur. Multæ|eiusmodi sunt sentẽtiæ in sacris literis, quæ etsi uniuersè sonant: tamen pro ratione materię referendę sunt uel ad electos solos, uel ad reprobos solos. A' Ioanne etiam mundus pro maiore mundi parte: & Sui, pro plurimis ex suis, & non pro omnibus in uniuersum accipiendum est. Nam mox subdit: Quotquot autẽ receperunt eum. Quid igit causæ est, cur uniuersales particulæ proferuntur? Quia per eas sermo fit ad eam uniuersitatẽ, in qua sunt partim electi, partim reprobi. Sic enim sunt ferè cœtus omnes,

Ioan.12. Hcb.8. Ioan.1. Gen.18. Luc.6.

ut eis communiter tribuantur uirtutes, quæ tamen non omnium sint, sed quorundam qui sunt in eis: Communiter item & uitia, quæ & ipsa aliquorum sint cœtus illius. Estq; ille mos Scripturarum (quod Augustinus ob seruauit) ut de parte sæpe loquantur tanquam de toto. Sic Paulus Corinthios in primis epistolæ suæ partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint: cùm essent laudabiles quidam eorum. Et postea in nonnullis epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant. Istam diuinarum Scripturarum cõsuetudinem per omne corpus literarum eius sparsam, quisquis diligenter aduerterit, multa dissoluet, quæ inter se uidentur esse contraria.

Aug. ad Paul. epist. 59.

10.

Cùm Paulus dicit 1. Tim. 4. Deum cùm omnium, tum maximè fidelium hominum seruatorem esse: in hac comparatione intelligitur, aliam salutem esse quæ fidelibus contingat, quàm quæ hominibus alijs. Et quia illorum est uita æterna, Christo sic dicente, Qui credit in me habet uitam æternam: alios igitur homines ex ea parte seruat Deus, quatenus eos tuetur à multis malis: beneficiaq; in eos confert animi, corporis & fortunæ, sine quibus uita hæc degi commodè non potest.

11.

Cùm dicit Deus se nolle mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat: quid aliud significat, quàm se uelle ut peccator conuersus uiuat? Qui igitur non conuertitur, quomodo uiuet?

12.

Euangelium quidem est uerbum pacis, per quod homines reconcilientur Deo: sed illi tantùm, qui credunt. Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. Cæterùm nõ credentibus, est odor mortis in mortem: 2. Cor. 4.

13.

13.

Sicut non omnes qui sunt ex Israele, sunt Israelitę: nec omnes ex Abrahamo, sunt filij Dei: ita non omnes qui audiunt promissiones, percipiunt promissiones, sed soli filij promissionis. Rom. 9.

14.

Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi; quia eius crux sufficit redimendo toti mundo: sed non est efficax nisi credentibus iuxta uerbum ipsius. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Christus dicitur, secunda Corinthiorum 5. pro omnibus mortuus esse, ut qui uiuunt, posthac non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Planè uniuersalem locutionem restrinxit ad eos qui in Christo uiuant. Quamuis igitur mors Christi sufficit seruandis omnibus: tamen solis fidelibus prodest. nam à cæteris repudiatur.

15.

Paulus dicit, gentes inexcusabiles esse, quia noticiam legis diuinæ haberent, si nō ex scripto, tamen ex rerum creatione. Hinc autem non sequitur, eos facultatem habere præstandi id quod rectum esse cognoscerent.

16.

Quòd Paulus inquit, Iusticiam Dei credentibus omnibus communem esse: quid aliud intelligit, quàm in omnes credentes eam effundi? At nō omnes credere, nisi qui trahātur à patre cœlesti, Christus ipse dicit. Et Ioan. ex Esaia: Domine quis credit sermoni nostro?

17.

Non Iudæos autem tantùm, sed & Gentiles in Euangelij societatem uocauit: adeò nullum hominum genus à se excludit.

18.

18.

Gratia omnibus quidem offertur, sed à nemine accipitur nisi ab electis, qui secundum propositum uocati sunt.

19.

Comparationes Paulinæ non eò tendunt, ut multitudo seruandorum par sit multitudini uitiatorum: sed ostendunt Christum esse causam iusticiæ & uitæ eorum qui seruandi sunt, sicut Adam causa est peccati & mortis omnium ex se prognatorum. Aliarum comparationum scopus est, potentiorē esse in fidelibus Christi gratiam, quàm uitium ab Adamo contractum.

20.

Non uidetur idem dici posse de Paradiso, & de uita beata ac immortali. Erat quidem Adam collocatus in paradiso, ut eum coleret. Itaq; & agrorum cultura ei commissa fuerat: & fructus permissi, quibus uesceretur: & una arborum uetita. Quia (inquit Deus) quo die ex ea comederis, morieris. In primis autem illud iussum, Crescite & multiplicamini. Hæc diuersa sunt à uita cœlesti, in qua nulla cura erit rerum temporalium: neq; ibi uxores ducunt, neq; nuptum dantur, sed sunt sicut angeli Dei. Etsi autem Paradisus regni cœlestis typus aliqua ex parte uideri possit: tamen collocatio hominis in paradiso, & electio eius ad uitam, diuersas rationes habent. Hæc simplex est, illa cum adiunctione. Itaque cum peccauit Adam, ex Paradiso pulsus est. Cùm autem Deus nō alium hominem creauit unde gignerentur alij, sed ex illo uitioso Adamo alij nati sunt: facti sunt omnes uicioſi, quē admodū primus parens fuerat. Hîc aūt Deus, qui malis bene nouit uti, cōsilijs suis uiam aperuit, ut qui ex massa uitiata nascerētur, alios iuxta beneplacitum suum uitio redimeret, alios relinqueret. Et hæc est destinatio aliorum ad

Matth. 22.

rum ad uitam, aliorũ ad mortem. De qua idem dici non potest, quod de Paradiso: in quo sine exceptione tota posteritas Adæ fuisset cũ parente suo, nisi ille peccasset.

21.

Non ijsdem rationibus duci Deum ad creaturas amplectendas, quibus patres ducuntur erga prolem suam, multis rebus ostendi potest. Multi in hanc lucem nascuntur claudi, cæci, stupidi, moriones, monstrosi, & alijs uitijs tum corporis tum animi obnoxij: idq; uolente Deo, & decernente. Quis autem patrum talem sibi prolem nasci uellet? Calamitatibus & morbis uarijs affligit Deus filios hominum, idq; facit uolens & sciens. Quis patrum uellet suos ad hunc modum affligi? Pereunt multi in undis, alij cadunt è rupibus: alij alijs casibus enecantur: id quoq; Deo uolente. Quis patrum tali nece prolẽ suam interire uellet? Christi uerba ex Matth. 7. citata, subduntur exhortationi eius ad precandum. Sic enim Christus: Petite, Quærite, Pulsate. Addit promissiones: Dabitur uobis, Inuenietis, Aperietur uobis. Addit comparationem: Si patres carnales dant filijs petentibus, quæ illis putant esse commoda & salubria: quanto magis pater cœlestis facit, ut bona det petentibus se? His uerbis assiduitas precandi commendatur, fiducia impetrandi excitatur. quę quidem fiducia filiorum Dei est, quorum est illa uox: Abba pater. Itaq; apud Lucam extremũ uerbum sic refertur: Quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum poscentibus se? At solis filijs dat spiritum suum, & fiduciam poscendi illum suggerit. Ad eos igitur solos uerba Christi pertinent, non ad alios. Luc. 11.

22.

Quod dicitur de iniusticia & tyrannide Dei, facilè solui tur similitudine tum figuli, tum creditoris. Nam sicut figulus sine ulla iniusticia uel tyrannide facit ex eadẽ mas

sa luti aliud uas in sordidos usus, aliud in honestos: suoq; iure id facit, nulla iniuria luti, cui minimè conuenit rationem facti à fictore suo exigere: ita Deus, qui nemini quicquam debeat, suo iure facit ex massa immunda alios mundando, alios in sordibus relinquendo: ac deinde illorum mundiciem magis ornando & honestando, istorum sordes magis sordescere sinendo, ac tandem in ignem mittendo. Igitur qui in sordibus iacent, malo sibi innato iacent: qui ex sordibus eluuntur, Dei misericordia eluuntur. Nullus autem iniusticiæ locus est, ubi res ex liberalitate agitur, non ex debito. quemadmodum di
Matth. 20 cit paterfamilias Euangelicus: An nō licet mihi quod uolo facere? Tolle quod tuum est, & uade. an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Nullus itē locus tyrannidi, ubi qui eiusdem damnationis rei sunt, alij in ea relinquuntur, alij gratuitò ab ea redimuntur. Isti habent cur gratias agant redemptori: illi nihil habent quod querantur se preteritos, cùm nihil in se habeant cur redimendi essent. Quod sic Augustinus de bon. pers. lib. 2. cap 8. Qui ergo liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debitū bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas inuenitur. An nō est in potestate creditoris, cui sint duo debitores, alteri remittere, ab altero exigere qd debet? Atqui homo nō debet esse meliore cōditione q̄ Deus.

23.

Ita & iusticiæ & misericordiæ locū esse uidemus. nam qui affliguntur ob innatam uitiositatem iustè affligunt. Qui uerò ex eadem uitiositate, ob quam alij damnantur, uident se liberatos, an nō misericordiam sibi tributā esse agnoscunt.

24.

Libertatē arbitrij nostri ex se ad salutē nihil, ad damnationem

tionem omnino ualere, in libro huius argumenti oſtendimus.

25.

Laudantur, qui officio rectè funguntur: qui minus, uituperantur.

26.

De acceptione perſonarum ſic ad uerbum Auguſtinus, de Pelagianis ſcribens ad Sixt. presb. ep. 106. Quòd autem perſonarum (inquit) acceptorem Deum ſe credere exiſtimant, ſi credant quòd ſine ullis præcedentibus meritis cuius uult miſeretur, & quos dignatur uocat, & quem uult religioſum facit: parum attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato: ut nec ille ſe indignũ queratur, nec dignum ſe iſte glorietur. atque ibi potius acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi una eademq; maſſa damnationis & offenſionis inuoluit, ut liberatus de non liberato diſcat, quod ſibi etiam ſupplicium conueniret, niſi gratia ſubueniret. Si autem gratia, utiq; nullis meritis reddita, ſed gratuita bonitate donata. Hæc Auguſtinus. Mihi uerò acceptator perſonarum eſſe uidetur, qui officijs præſtandis reſpiciat cauſas quæ reipſa cauſæ non ſint, nec eſſe debeant: ſed eas tamen pro ſuo affectu cauſas eſſe opinetur. ut ſi ſacerdotijs conferendis ſtemmatum, ſi honore tribuendo diuitiarum reſpectum habeat: ſi item iudicijs adminiſtrandis potentiorẽ pauperi præferat. Huiuſmodi enim cauſæ minimè iuſtæ ſunt, quas effectus quos dixi ſequantur. Et certè qui eas rebus agendis perſequuntur, multas rebus mortalium peſtes inferũt. Cùm autẽ Deus alios eligendo, alios reprobando, cauſas huiuſmodi non ſequatur, perſonarum acceptionis minimè eſt arguendus. Ad hæc, diſtributio inæqualis rerum quæ in aliquos, qui æquales, ſint pro debito conferant, acceptionis perſonarũ nomine fortaſſe culpari poſſit. Secus eſt in rebus quæ

pro mera liberalitate aliquibus, quamuis æqualibus tribuantur. Omnino enim si uni æqualium des quod non debeas, alteri non des, nec iniustus ob hoc dicéris, nec personarũ respiciens: id quod in creditore uideri possit, ab altero debitorum nomina exigente, alteri gratiam faciente. Quemadmodum autẽ in plurium æqualium culpa iniusticię argui nõ debet qui aliquorum misereatur, aliorum minimè: ita in meritis plurium inęqualibus si æquale detur præmium omnibus, locum propterea iniusticiæ nõ esse, paterfamiliâs ille ostendit, qui operarijs omnibus quidem illis in uinea labore functis, sed tamen & spacio temporis & sudore impari parem mercedem reddit. Frementibusq; illis qui totius diei onus ardorẽq; pertulissent, quòd nõ maiore mercede affecti essent præ illis qui una tantùm hora laborassent, respondet: Amice, nónne mecum denario conueneristi? Quòd si pactam mercedem tibi do, quam tibi facio iniuriam? Aufer igitur tuum, & abi. Volo autem huic ultimo tantum dare, quantum tibi. an cũ ego benignus sim, te maleuolum & inuidum decet esse? Præclarum patrisfamiliâs factũ, qui multum meritis ita reddit debitam mercedem: ut tamen liberalitatem non claudat in eos qui multo minus uel nihil meriti essent. Quod certè non ex personarum acceptione prouenit, sed ex bonitate & misericordia illius optimi patris immensa.

27.

Paulina sententia ex epistola ad Romanos, & ei similes, uerbis Thomæ 1. q. 3. a. 5. facilè explicatur. Effectus prædestinationis (inquit) considerare possumus dupliciter. Vno modo in particulari, & sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius: posteriorem quidem prioris, secundum rationem causæ finalis: priorem uerò posterioris, secundum

cundum rationẽ causæ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ. Sicut si dicamus, quòd Deus præordinauit se daturum alicui gloriam ex meritis, & quòd præordinauit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi: & sic impossibile est quòd totus effectus prędestinationis in cõmuni habeat aliquam causam ex parte nostra. Quia quicquid est in homine ordinans ipsum in salutem, cõprehenditur totum sub effectu prædestinationis: etiam ipsa præparatio ad gratiam. Neq; enim hoc fit nisi per auxilium diuinum, secundum illud Thren. ultimo: Conuerte nos ad te Domine, & cõuertemur. Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione, diuinam uoluntatem: ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur ut in finem, & ex qua procedit sicut ex principio primo mouẽte. Præclara est hæc Thomæ sententia, & ad præsentem controuersiam dirimendam perneccssaria. Iubet effectũ prędestinationis considerari tum diuisim in partibus singulis inter se comparatis, tum coniunctim in omnibus simul sumptis, & ad Deum relatis. Et primo quidem modo nihil impedire, quin effectus unus sit causa alterius. Quia enim Cornelius, quem exempli gratia producimus, Dei timẽs erat, egentibus benignè faciebat. Deum continenter orabat: ideo preces eius & benignè facta ad Deum ascenderunt. Deus autem, Petro ministrante, spi ritus sancti munere eũ perfudit, beneficiaq; ampliora in eum contulit, quibus uitam immortalem mereretur. Ad hunc modum planum est, unum effectum esse causam alterius. Sic que Pauli uerba accipienda sunt, reddere Deum unicuiq; pro operibus ipsius: rectè agentibus uitam, iniusticiæ obtemperantibus mortẽ sempiternam. Id enim ferè fit in rebus ordinè inter se positis, ut prior Act. 10.

posterioris sit causa uel materialis uel efficiens, posterior prioris sit finalis. Quem ordinem à Deo seruari salute hominis procuranda, Paulus est author, sic ad Romanos scribens: Quos præsciuit, hos præfiniuit imaginis filij sui consimiles: quos prefiniuit, hos uocauit: quos uocauit, hos iustificauit: quos iustificauit, hos glorificauit. Hunc ordinem doctores catholici constituunt, cùm dicunt conatum ad bonum, causam esse disponentem ad gratiam: gratiam ordinari ad opus, opus autem cum gratia ad gloriam consequendam. Euangelici aũt, cum fidem & pœnitentiam necessariam esse ad iustificationem docent: nec eñ fidem ueram existere nisi in pœnitentia, nec misericordiam apprehendi posse nisi fide. Pœnitentia igitur & fides dispositiones sunt, præparantes ad iustificationem: quam immortalis gloria consequitur. Verumtamen omnes illæ præparationes à Deo sunt. Deum enim sua misericordia Cornelium in primis respexisse fatendum est. nam neque preces eius, nec ieiunia, nec ulla bona opera grata Deo esse poterant, nisi fidei coniuncta fuissent: sine qua fieri nõ potest ut Deo grati simus, eiq; placeamus. Fidem uerò Dei donum esse, Christus ipse testatur, cùm dicit: Hoc est opus Dei, ut credatis. Sicut autẽ diximus, priora opera posteriorũ causas esse seu efficientes, seu mauis dicere meritorias (nam & hæ ad materiam referuntur) ita si uicissim retro commeces, posteriora causæ finales sunt priorum. Quia enim Cornelio Deus uult gloriam, uult eidem & opera quibus mereatur gloriam: nempe Deo precibus ac ieiunijs supplicando, proximis benignè faciendo. Quia autem ei uoluit bona opera, ideo animum eius imbuit pietate, fide & timore sui. atq; ut hæc in ipso essent, unxit eũ spiritu suo, cuius esse illos fructus Paulus docet Gal. 5. Duplex igitur ordo pro duplici genere causæ constitutus est

tus est: prior à materia ducitur, posterior à fine. Et quod priorem locum obtinet in ordine priore, hoc posteriorem in posteriore & uice uersa, quod priorem locum in posteriore ordine, hoc posteriorem in priore. Ita rata manet philosophorum de causis sententia, ut quod prius est animi intentione, hoc sit posterius operis effectione. Beatitudo enim immortalis est, quam postremũ nanciscũtur qui sunt ad uitam destinati: in quam omnia quę fiũt, ab illis ordinantur tanquam in finem ultimum. Hucusq; effectus prædestinationis diuisim considerati sunt, quatenus cõferuntur inter se. Consideremus eosdẽ deinceps simul & cõiunctim, ut ad Deum prædestinantem referuntur. Hoc autem modo in Deo est causa prædestinationis, eaq; sola illius uoluntas. In nobis uerò nõ est. Quicquid enim in nobis boni est, id effectus est diuinæ prædestinationis. Quod Thomas nominatim de præparatione seu conatu ad bonum confirmat testimonio Prophetæ dicentis: Conuerte nos Domine, & conuertemur. Sed & de alijs quoq; idem dicendum, omnia diuino munere nobis cõtingere. De fide dicit Paulus 1. Cor. 7. Misericordiam consequutus sum à Domino, ut sim fidelis. Non dicit ex sua fidelitate se misericordiam consequutum: sed contrà, clementia Domini datum sibi esse, ut fidelis esset. De sanctitate idem dicit Ephes. 1. Elegit nos ante orbem conditum, ut essemus in suo conspectu sancti & immaculati. Non dicit ex eo nos electos esse, quòd sancti essemus, aut futuri eramus: sed nos electos, ut sancti essemus, inculpati, charitate præditi. Non igitur tantùm ad salutẽ, sed & ad media quibus ad illam peruenimus, electio atq; adeò prædestinatio referenda est. Notus est autem locus Pauli Rom. 8. ubi cursum totum ad uitam beatam, & ipsam beatitudinem ipsi Deo ascribit, qui propter Christũ filios sibi adoptat anteq; nascuntur,

ſcuntur, & uitam hanc agentes ad pietatem uocat, uocatos iuſtificat, iuſtificatis largitur uitã immortalem. Cùm igitur quicquid boni in nobis eſt ad uitam æternam pertinens, id totum cadat ſub effectum prædeſtinationis diuinæ, cauſa eius in nobis quærenda non eſt: ſed in ſolo Deo, qui ſuo decreto quos uult uitæ deſtinat: eiſq; per ſpiritum ſuum facultatem largitur & operandi, & perueniendi ad metam deſtinatam. Quid autẽ prohibet, quo minus Thomę ſententiam hoc ſyllogiſmo cõcludamus?

Nihil quod eſt effectus prædeſtinationis, poteſt eſſe eius cauſa.

Quicquid in homine eſt ad beatitudinem ordinatum, eſt effectus prædeſtinationis.

Nihil igitur quod in homine eſt ad beatitudinem deſtinatum, poteſt eſſe cauſa prædeſtinationis.

Hoc argumentum ex repugnantibus eſt ductum. Repugnat enim ei quod effectus eſt, ut cauſa ſit eiuſdem reſpectu. Neque ego uideo quomodo hic ſyllogiſmus diſſolui poſsit. Quicquid enim in homine eſt quod uiam ſternat ad beatitudinem, id omne ex Dei deſtinatione eſt: etiam ipſa ępparatio, ſeu conatus primus de quo nominatim dixit Thom. atq; adeò uſus bonus lib. arbitrij non enim ita ſe habet Deus ut aliquis rex, (quod exempli cauſa dicimus) qui militi equum donare poteſt, uſum equi bonum uel ad pugnandum, uel ad alias commoditates dare non poteſt. Deus uerò & donat liberum arbitrium, & eius uſum bonum: quemadmodum Paulus dicit, Deum in nobis operari tum uelle, tum perficere. Hucuſque ſententiam Aquinatis explicauimus, quam Ioannes Driedonis Theologus Louanienſis breuiter & dilucidè ſic expreſsit: Quamuis, inquit, tota congeries effectuum prædeſtinationis non eſt ab alia cauſa quàm à Deo, pendens ex ſimplici bonitate illius miſereri uolens

Ioã. Driedonis lib. de concordia prædeſt. cũ lib. arbit. part. 1. cap. 4. Sen. 5

ri uolentis ſecundum cõſilium uoluntatis ſuæ: eſt tamen inter hos effectus ordo quidam. nam prior poſterioris eſt diſpoſitio, præparatio, meritum, cauſa, uel ratio: poſterior uerò finis & præmium præcedentis. Sicut in naturalibus cauſis & effectibus unum fit ab alio, uel propter aliud: ita in prædeſtinato fides primùm datur non petita, ut poſsit eſſe principium bonorum operum, quę ſint meritoria uitæ æternæ. Si quis dicat fidem dari propter merita, uel intelligit cauſam meritoriam, falſum eſt: uel finalem, uerum: ut ſit ſenſus, datur ad merendum, ſicut oculi ad uidendum, pedes ad ambulandum. Eandem ſententiam alio in loco fuſius explicat, ſimulq; cauſam tam prædeſtinationis quàm reprobationis planiſsimè exponit his uerbis: Non iccirco prædeſtinauit Deus ſuos electos, quia præſciuit illos obtemperaturos & obedituros: ſed prædeſtinauit illos, ut obedirent & crederent ex gratuita eius motione. Cæteros autem reprobauit, non quia præuidit illos fore rebelles: ſed reprobauit illos, non uolens taliter miſereri ac trahere illos, qualiter aptum nouerat ut obedirent. Item particulariter prędeſtinationis effectum habere cauſam aut meritoriam, aut motiuam, tanquam ueriſsimum conceditur. nam & ipſa uita æterna poteſt habere cauſam meritoriam, obedientiam humanæ uoluntatis rectè & ſalubriter obedientis Euangelio. Verùm hæc ſalutaris obedientia meritoria nõ eſſet, niſi Dei uoluntas ad illam obedientiam hominem ſua gratia illuſtrando, deſtinaſſet ac præparaſſet. Quòd ſi hæc ſalutaris obedientia à Deo præſtita ſit cauſa uitæ æternæ meritoria, non tamen eſt meritoria cauſa primæ gratiæ dandæ: licet fuerit bonum opus, ad quòd Deus gratiam illam dandã ordinauerit: ita qđ ſecũdum naturã prius hominis uoluntate intelligatur eſſe motio Dei, in ſui obedientiam ſubiicientis ſibi huma-

Ibidem in ſolutione argumenti 7.

nam uoluntatem. Hæc est definitio patrum in concilio Mileuitano. Proinde si ex fide quadam, nondum charitate uiua, prodeat obedientia quædam seu † ratio impetratoria, ex qua homo nondum iustificatus, dignus efficitur iustificatione, tam fides illa q̃ obedientia & desiderium remissionis peccatorum sunt ipsius prædestinationis effectus atq; ita homo non est prædestinatus propter illa. non est igitur quispiam prædestinatus quia est obediturus: sed iccirco est obediturus, quia est prædestinatus ut obediret. Pariformiter inobedientia & rebellio etsi sunt causę meritorię defertionis seu subtractionis auxilij & protectionis diuinæ & æterni supplicij, non tamen sunt causæ meritoriæ propter quas Deus permisit, aut permittit uoluntatem inobedientium & rebellium cadere in ipsius inobedientiæ ac rebellionis culpas, aut in primum peccatum. permittere autem hominem habere primum peccatum, aut cadere in ipsum, non est propter nullum opus prodiens ex ipsius lib. arbitrio, quod sit huius permissionis aut huius primi peccati in eodem homine meritoria causa: cuius merito uidelicet ipse homo permitteretur, & (ut ita dicam) traderetur à Deo in huiusmodi peccatũ. Quia tunc hoc opus prẽmium esset culpa & peccatum, eo quòd puniatur à Deo per subsequentem culpam. Quod dicere inconueniens est, eo qđ ex illo sequeretur, ante primũ peccatum in homine esse culpam, quod est impossibile. Driedonis igitur sententia, non tantùm beatitudo, sed & bona opera, & omnes præparationes præuiæ cadunt sub effectum prædestinationis diuinę: ipsosq; effectus inter se cõparatos ita se habere, ut unus causa sit alterius: & tamen eius qui primus sit omnium, in homine causam quærendam non esse, sed in Deo solo: ut non immeritò ipse Deus & sequentium, qui ex primo tanquam fonte oriantur, causa

† oratio

dici

dici debeat. De reprobatione clarissimè affirmat, peccatum inobedientiæ causam esse desertionis & subtractionis gratiæ: & consequenter etiam mortis æternæ. Verùm quod homo permittitur ruere in peccatum, causam in eius libero arbitrio non esse: quæ quidem peccatum esset. alioqui ante peccatum esset peccatum. Hunc enim ordinem Driedon constituit, ut Deus primum permittat hominem peccare. Qui si permissus peccauerit (id enim est suę potestatis, qui libero arbitrio prędituſ sit) deserit eum, suamq; gratiam ab illo subtrahit. Inter prędestinatos igitur (inquit idem alio in loco) & reprobatos ab initio nulla est meritorum distinctio: nulla inter eos diuersitas, propter quam iste prædestinetur ut ex massa perditionis discernatur ac eligatur, fiatq; uas in honorē, alius uerò reprobet, ut reijciat ac deseratur, maneatq; ex carnali natiuitate uas in contumeliam. Exposuimus Driedonis sententiam nostræ congruentē. Thomæ etiam sententiam (opinor) nō ineptè explicauimus. Quibus si addantur uerba Augustini quę in tractatu de lib. arbitrio, cap. 5. obiectione 17. adduximus de donis Dei, quę & det nobis, & eadem coronat in nobis: si (inquam) uerba Augustini cum sententijs nunc à nobis explicatis cōiungantur, apparebit, mea quidem sententia, cōciliatio inter opiniones extremas de prædestinatione quas recitauimus. Etenim qui meritis nostris locū nullū dant in prædestinatione, nō tantùm ad ipsam beatitudinem, sed ad totum effectum prędestinationis, hoc est ad totum cursum quo itur ad beatitudinem respiciunt: qui quidem cursus ex Deo prædestinātē totus pendet. Qui meritis locum aliquē dant, ad partes inter se collatas respectum habent: quarum partium unam alterius causam esse iam ostendimus. In omnibus his tenendum est, oportere aspirare nobis diuini fauoris auram, sine qua ne

Ibidem cap. 9. sent. 4.

Ibidem cap. 5. conclusione 4.

cogitationem quidem ſuſcipere poſſumus rerum diuinarum nobis oblatarum: tantum abeſt ut uelle aut perficere ualeamus. Obſtant huic ſententiæ Theologi, qui uſum bonum liberi arbitrij præcedere dicunt gratiam: eſſéque tanquam diſpoſitionem de congruo, & rationem infuſionis gratiæ. Verùm hæc opinio non eſt communis omnium Theologorum. Driedoni eam nõ placere, iam oſtendimus. Et à Thoma confutatur 12. q. 109. a. 2. & q. 112 a. 2. ubi concludit his uerbis: Ad hoc quòd Deus infundat gratiã animæ, nulla præparatio exigitur, quam ipſe non faciat.

CAPVT XI.

De uſu doctrinæ prædeſtinationis: & quomodo aliquis de ea certus eſſe poſſit.

ITa ſententiæ omnes de prædeſtinatione diuina ad unam redactæ ſunt. De qua prædeſtinatione quæ diximus, certa ſunt illa quidem, & diuinis oraculis conſentanea, atq; eò potiſsimùm in Scripturis prodita, ut pij qui ea audiunt, de ſe humiliter, de Deo autem magnificè ſentire diſcant, cui gratias agant perpetuò de tanto beneficio in ſe gratuitò collato. Et ut in ijs qui reiecti ſunt, intelligant quid ipſi quoq; commeriti fuiſſent, ſi Deus cum eis iure ſuo agere uoluiſſet: ac ut ſuam paucitatem conſolentur cõtra multitudinẽ impiorum, qui ſibi tamẽ eccleſiæ titulũ uẽdicẽt. Fuit enim illud iam inde ab initio humani generis, ut quę uerè Eccleſia eſſet, ea opprimeretur, ac damnis afficeretur ab illa quę ſibi hunc titulum arrogaret, neq; tamen erat quod dicebat: tametſi multitudine, operibus, potentia, honoribus, pompa, authoritate uerã Eccleſiam ſuperaret, ac multo q̃ illa florentior eſſet. nõ enim abs re queritur Eſaias de Eccleſia ſui temporis: Niſi (inquit) reliquiſſet nobis Dominus ſemen, ſicut Sodoma

&

& Gomorra facti essemus. Et Helias prophetarum cædes deplorando, ac altarium Dei subuersionem, se solum relictum putabat, qui Deum ritè coleret. Quid quod Christus ipse de extremis temporibus loquēs: Putásne (inquit) cùm filius hominis uenerit, an fidem inueniet? Sub Christi primùm aduentum in terram Ecclesia exigua admodum fuerat: & ferè in Maria, Ioseph, familia Zachariæ, Simeone, Anna pastoribus & nonnullis alijs continebatur. Accesserunt postea discipuli, apostoli, & pauci alij. nam eorum comparatione quanta multitudo erat impiorum cum Pontificibus, Scribis & Pharisæis consentientium: qui præcipuè sibi titulum populi Dei uendicabant? Dicebant se Ecclesiam esse, sibi Christum promissum, sibi Prophetas datos, Sapientes, Sacerdotes, à quibus non esset periturū uerbum, nec consilium, nec lex ipsa. Hæc magno sanè obstaculo erant rudibus & infirmis: cùm ab illis quibus Christus peculiariter promissus esse dicebatur, reijci uiderent & ipsum Christum, & eius doctrinam. Audiebant Apostolos prædicantes, IESVM esse Messiam illum in lege & Prophetis promissum. Audiebant contrà Pontifices, Scribas, Pharisæos, homines legisperitos fortiter reclamantes. Hoc obstaculum Apostoli, & in primis Paulus & Ioannes, remouere conantur uaticinijs Prophetarum. Et poterāt illi quidem dicere, & uerissimè poterant, uel incredulitatem, uel malitiam, uel naturæ corruptionem in causa fuisse huius Iudæorum defectionis. Sed altius conscenderunt, & ab arcano usq; Dei consilio rem orsi sunt. Itaq; Paulus primùm fratres bonos, ijsdem patribus natos, & in eadem disciplina eductos proponit in exemplum: testimonijs adductis diuinis, quibus palàm significatur, alteros à Deo cooptatos, alteros reiectos fuisse priusquam nascerentur. Quæ quidem testimonia suprà cap. 4. prima

opinione confirmanda adducuntur. Deinde Esaiæ testimonium profert, quod & à Ioanne adducitur: quo quidem testimonio indicatur non omnibus esse æqualem gratiam, sed ita Deũ diuitias gloriæ suæ erga organa misericordię illustrare, dum potentiam suam demõstrat in uasa irę in interitum apparata: firmamq; electionem Dei esse, sed illis quorum misertus sit: reliquos excęcatos esse: de quibus diserte Ioannes dicit, illos credere non potuisse, ut impleretur uaticinium Prophetę. Hæc sunt copiosè exposita suprà cap. 7. Eoq; ab Apostolo adducta, ut ne pij homines offendantur, cùm uident multitudinem impiorum Ecclesię nomine superbientium: atq; ita cũ Paulo statuant, non omnes qui sunt ex Israele, Israelitas esse: nec omnes qui Ecclesiæ titulum sibi arrogant, esse Ecclesiam. multos esse & perfidos, & ueræ Ecclesiæ hostes: quorum in manu est ordinaria potestas. Cæterùm quicunque uult salutis suæ certus esse, hîc non ad arcanam Dei electionem remittendus est, ne se inexplicabilibus labyrinthis inuoluat: sed ad Christum ipsum, unicum & æternum Dei consiliarium, in quo nobis omnia nostræ salutis mysteria proposita sunt. Hunc ex muliere & sub lege factum, misit pater, ut eos qui sub lege erant redimeret: ut adoptionem filiorum reciperemus. In hoc elegit nos ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati. Huic pater eos qui sui erant dedit, ut eos sanctificet. Quicunque igitur scire cupit, quid de sui adoptione statuerit æternus pater ante conditum orbem, ad Christum se recipiat: in quo thesauri omnes cœlestes concluſi sunt. De quo est illa uox patris: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Ad hunc igitur fide accedendum est. In hoc nobis peccatorum remissio, reconciliatio cum Deo irato, ius filiorum Dei, hæreditas cœlestis offertur. Nemo illius patris potest esse

Gal. 4.

Ephes. 1.

Ioan. 17.

esse filius, nisi idem sit Christi frater. Huius fratris nostri est illa uox uerè diuina: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut quicunq; credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Audiamus igitur hunc magistrum, pastorem, mediatorem & propitiatorem nostrum IESVM CHRISTVM, cuius sanguine hæreditas uitæ æternæ nobis parta est, Euãgelio ipsius oblata, fide in ipsum comprehendenda. Atque hæc est uia, qua Deus eos quos ante orbem conditum elegit, tempore suo uocat & iustificat, ut tandem illos glorificet, dona sua in illis coronando. Quamobrem die extrema cum benedictos patris sui ad possessionem regni cœlestis uocat, opera charitatis quæ exercuissent, enumerat, quæ coronaturus esset: & per quæ, benedictione patris ius eis factum esset capiendæ hæreditatis promissæ. Paulus quoq; ait, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Quibus uerbis significat, qualiter oporteat esse affectos fideles. Sed ne id uiribus suis, aut merito suo tribuant, addit, hoc illis contingere qui secundum propositum Dei uocati sint sancti. Ita Paulus & uocationi Dei locum suum tribuit, & quid unumquenque facere oporteat docuit. Certè Deus diligendus est omni mente, omnibus uiribus. nam ipse dicit: Ego diligentes me diligo. Verùm sciendum est, eum à nobis diligi non posse, nisi ipse prior diligat nos: ut testatur Ioannes, prima Ioannis quarto. Lex Dei est facienda: Verùm finis legis Christus est. In hunc igitur mens & animus intendendus. Hic enim peccata nostra per sacrificiũ mortis suæ expiando, iusticiam in nobis suam adimpleuit. Econtrariò cum reprobi rei peraguntur, sua ipsorum peccata inspicere iubentur. Sic enim ad eos Christus: Ite maledicti in ignẽ æternum. non eñ me esurientem cibastis, nec nudum cooperuistis. Sic Paulus causam

cauſam abiectionis ludæorum humano captui conſpicuam dicit eſſe infidentiam, & offenſionẽ in Chriſto tanquam lapide, quòd iuſticiã ſuam ſtabilire uolentes, Dei iuſticię non fuerint ſubiecti. Nihil hoc quidem impedit, quin æternum Dei decretum firmũ ſit de ſaluandis & damnandis: uerũ non id nobis ſcrutandum eſt, ſed in ſalute gratuitum Dei beneficium amplectendũ: in damnatione prauitas & peccatum noſtrum conſiderandum. In nobis enim eſt infidelitas, in nobis cupiditates aduerſus le-
Rom. 1. gem Dei uariæ. Qui Deum ex cœli & operum eius aſpectu cognitum nõ ita ut deceret glorificant, traduntur in
2. Theſſ. 2. reprobum ſenſum. Qui gratiam Dei, uerbo ipſius oblatam, uolentes reſpuunt, ac ueritati obedire nolunt, his efficaciam illuſionis immittit Deus, ut credant mendacio: eorumq; mentes excæcat Deus huius ſeculi. An uerò peccata quæ hanc excæcationem merentur, non in ipſis hęrent? nõ ipſos accuſant? Vnde enim illa uox ludę lſcariotę: Peccaui tradendo ſanguinem iuſtum? non accuſat arcanũ Dei cõſilium: ſuam ipſius culpam intuetur, auariciam peſſimam conſultricẽ in crimen uocat. Hoc enim eſt quod Propheta de omnibus dicit: Perditio tua ex te Iſrael. Hęc uera ſunt, & cũ Dei oraculis cõgruunt. Quòd ſi quis quærat, cur qui eo dẽ modo rei ſunt, alij ad uitam eliguntur, alij exitio relinquũtur: ſuprà dictũ eſt, cauſam apud Deum latêre: nec eſſe quod hîc homo reſpondere poſsit, quàm id quod dicit Paulus: O homo tu quis es? Pſalmiſta dicit, Iudicia Dei abyſſum multam eſſe: quæ Paulus uocat inſcrutabilia. non igitur ſcrutanda, nec ueſtiganda ſunt homini mortali: ſed Dei uoluntas quæ præceptis patefacta eſt, inſpicienda. ad eam uoluntas noſtra & perficiendi ſtudium afferendum, uel potius ab ipſo Deo petendũ. Chriſtus quærẽdus, qui uenit ut peccatores ſaluos faciat. Hunc pater in mundum miſit, ut ſignum

gnum esset certissimum salutis nostræ. In hunc scelera omnia nostra coniecta sunt. Hic morti traditus est, ut nos per eum uiuamus. Credamus tantùm huic saluatori nostro: & uita nobis aderit. Et quamuis uerum est, maledictos omnes esse qui non præstiterint omnia quæ præcepta sunt: uerùm & illud quoque uerissimum, Christum pro impijs mortuum esse, ac pro nobis factum esse maledictum, ut nos à legis maledictione assereret. Confidamus tantum huic redemptori nostro studium legis diuinę & conatum obediendi retineamus: nihil obērūt nobis imperfectiones nostræ. Quis putaret latronē, qui sceleratè uiuendo, & uitas hominū uiolando æuum suū transegit, & ob id in crucem sublatus est, ad uitam immortalem traducendum? Et tamen traductus est fide, & studio obtemperandi. Sanguine enim Christi, eius peccata abluta sunt. Hic sanguis in omnem credentem defluit ex cruce illa in monte erecta. ad hunc igitur concurrant omnes, quicūq; salui esse uelint. Breuiter, quamuis origo salutis nostræ ex Dei pendet electione gratuita, qua ante conditum orbem selegit nos ad uitam æternam: tamen quia illa abstrusa est, & humano ingenio prorsus imperuestigabilis, à Christo discenda est. In quo qui credit, nō iudicatur: qui nō credit, iam iudicatus est, quia nō credit in nomen unigeniti filij Dei. Certa enim res est, inquit Paulus, & omni approbatione digna, IESVM CHRISTVM in mundum uenisse, seruatum sontes: quorum uel primus ego sum. Verùm ideò tributa mihi misericordia est, ut in me in primis exerceret IESVS CHRISTVS summam clementiam, ad eorum exemplum qui ei fidem essent habituri ad uitam æternam.

Ioan. 3.

1. Timoth. 1.

CAPVT XII.

Epilogus, 1. ubi primum generalis responsio ad omnes obiectiones contra Dei prædestinationem affertur. 2. Deinde necessitas docendi de prædestinatione ostenditur. 3. Eam doctrinam non debere quenquam remorari à bene agendo. 4. Esseq; pijs hominibus cùm utilem & iucundam: 5. Tum ue. ò certam & constantem esse debere. 6. Tandem doctrina de prouidentia commendatur.

HActenus de usu doctrinę prædestinationis, & quo modo aliquis de ea certus esse possit, disseruimus: prius etiam contrarias Theologorum de eadem prædestinatione sententias & recensuimus, & in concordiam (quæ sicubi alibi, certè in re Christiana est perneccssaria) reducere studuimus: argumenta quoque præcipua tum contra prouidentiam, tum contra prædestinationem dissoluimus de uirorum doctissimorum sententia: quam uerbis illorum describendis retulimus. Nec enim illi uerbis quicquam dixisse mihi uidentur, nisi ex sacris literis desumptum: in quæ seuerius inquiri minimè licet. Sunt enim diuina oracula: quæ adoranda sunt, & in eis acquiescendum, quemadmodum ipse
1. Paulus indicat, dum sic allatrantibus diuinam maiestatem respondet: O' homo, tu quis es, qui cũ Deo disceptes? Augustinus quidem ad eiusmodi quæstiones, quibus recondita Dei iudicia', & abstrusæ eius rationes uocentur in disceptationem, duo dicit se habere quæ respondeat, O' altitudo diuitiarum: &, Nunquid iniquitas est apud Deum? Et addit: Cui responsio ista displicet,

cet, quærat doctiores: sed caueat, ne inueniat præsumptores. Hæc ille de Spiritu & litera cap. 34. Simus igitur & nos contenti his responsionibus. Me uerò non tantùm imbecillitas ingenij mei commouit, ut hanc scribendi consuetudinem susciperem, aliorum sententijs ad uerbum referendis: uerùm causæ magnitudo, in qua timidè & quasi intra septa & rerum & uerborum diuinitùs nobis præscriptorum uersari necesse est eum, qui lapsum uitare uelit. Qui quidem lapsus in hoc genere argumenti, sicubi alibi, multiplex est, & periculi plenus.

Non enim eadem mens est omnium qui audiunt, 2.
prouidentia Dei immutabili geri omnia, & in hac & in futura uita. alij hoc axiomate cognito, uel segniores fiunt ad rectas actiones, uel præcipites ruunt in omne genus facinorum. alij in curriculo rectè & honestè uiuendi confirmantur: dant' que strenuam operam, ut ad metam ab opifice illo & gubernatore rerum omnium benè agentibus propositam, fœliciter perueniant. Non igitur eundem fructum referunt huius doctrinæ tum doctores, tum auditores. Quid igitur? an reticenda doctrina hæc prædestinationis ac prouidentiæ diuinæ? Minimè. Paulus Gentium Apostolus, Romanis adhuc in fide nouitijs, hoc mysteriū bene longo sermone enunciare nō dubitauit. Quanto magis nunc faciendum est, cùm doctrinam religionis ferè cum lacte nutricum sugimus? Neq; uerò metuit illa pericula segniciei ac lapsuū: quin clarè dicit, se suauē odorem esse Deo in ijs qui seruantur, & in ijs qui pereunt: Et his quidem se mortalem esse odorem ad mortem, illis uitalem ad uitam. Idem docet, Deū esse qui in nobis operatur ut & uelimus & ope 3.
remur, pro bona sua uoluntate. Nihilo tamē minus hortari omnes nō cessat, ut & uelint quæ Deo placeant, & operētur. Idem docet, Deum, qui in nobis bonum opus

inchoauit, eundem absoluturũ esse, usq; in diem IESV CHRISTI. Neq; tamen suadere desinit, ut quisq; & incipiat & perseueret usq; in finem. Nec tantùm Paulus, & reliqui tum Apostoli, tum Prophetę, sed & Christus ingenti hominum multitudini uerba uitæ æternę tradit: non ignarus, maiorem partem in impietate perseueraturam. Et ad inchoandũ quidem sic omnes hortatur: Creditis in Deum, & in me credite. ad perseuerandum sic: Oportet semper orare, & nõ deficere. Hoc audiunt multi: sed illi soli faciunt, quibus datum est. quibus datum non est, illi siue audiant, siue non audiant, non faciunt. Itaq; dicit ipse: Nemo uenit ad me, nisi pater traxerit eũ. Et quod humanę rationi magis mirum uideri possit, eos docet quibus doctrina contempta sit magno malo. Sic
Ioan. 15. enim ipse dicit: Si non uenissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent. nunc autem non habent quod prætexant peccato suo. Igitur & doctrinam suam impijs prædicari uult Deus: & eiusmodi prædicatio uertitur illis in interitum. In hoc ratio humana non potest non offendi. Verùm pij hominis est, hæc subijcere cogitationi suæ: O' homo tu quis es? Atq; etiam in id unice incumbere, quod Christus filius Dei ad uitam immortalem, cõtendentibus præcipit, ut agnoscant uerum Deum, & quem ille misit IESVM CHRISTVM: in quo sint reconditi omnes thesauri sapientiæ & bonitatis diuinæ. Hic solus per spiritum suum certiores nos facere potest, nos esse filios Dei: atq; adeò & hæredes Dei, & cohæres
4. des Christi. Hoc pacto mysterium prædestinationis ab oculis & omni cogitatione nostra lõgè remotissimũ nobis patefiet. Quandoquidem qui prędestinati sunt ad uitam æternam, hi quoq; uocantur & externi uerbi prædicatione, & interna spiritus illustratione. Per hanc qui à Deo tractus uenit ad Christum, eum ipse Christus secu-

rum

rum facit salutis suæ, his uerbis : Hæc est uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi, sed resuscitem illud in nouissimo die. Est igitur hîc prædestinationis eximius & dulcissimus fructus: neminem eripere posse quos Deus elegit ad uitam sempiternam. Sic enim Christus : Oues meæ, inquit, uocem meam audiunt: easq; ego noui, & ipsæ me sequuntur: & eis ego uitam do sempiternam: nec possunt unquam perire, nec mihi quisquam eas de manu eripuerit. Meus pater, qui mihi dedit, maximus est omniũ : neq; quisquam possit ex manu mei patris extorquere. Debere autem hanc prædestinationis certitudinem sanctorum mentibus conceptam esse, Paulus planè affirmat, cùm ad Ephesios scribens dicit, se illorum in suis precibus mentionem facere, ut Domini nostri IESV CHRISTI Deus, gloriæ pater, eos sapientię & reuelationis spiritu donet, quò eum cognoscant: illustratis eorum mentis oculis, ut sciant quid sperandum sit uocatis ab eo: & quàm locuples gloriosaq; sit eius hæreditas, destinata sanctis: & q̃ excellens sit eius in omnes fidentes potentiæ magnitudo. Loqui aũt ibi Paulũ de uocatione & electione, qua sancti ante orbem cõditum in Christo electi sunt, uerba quæ apud eum legi licet, manifestè ostendunt. Sed fieri non potest, ut quis hac certitudine imbuatur ad actiones suas respectando, quæ imperfectione sua ream agãt conscientiam nostram, & scrupulos ac dubitationes semper inijciant pauidis mentibus. Opus est certitudinis huius causas petere ex liberali & gratuito Dei beneficio, destinato ante conditum orbem, comparato morte Christi, oblato euangelica promissione. Sic enim, ut Christus inquit, Deus dilexit mundum, ut filium suum unicum dederit, ut quisquis ei fidem habeat, nõ pereat, sed uitam obtineat sempiternam. Hæc nos ueritatis ma- 5. Ephes. 1.

giſter docuit IESVS CHRISTVS: cui non credere,
Ioan.3. eſt animam ſuam perdere. Qui enim nõ credit filio, iam iudicatus eſt.

Hæc de ea prouidentiæ parte, quæ prædeſtinationis nomine intelligitur, dicta ſint. De ea uerò qua res omnes gubernantur huius mundi, plenæ ſunt ſanctæ Scripturæ ſuprà à nobis citatæ: quæ teſtantur, nihil in hoc mundo euenire poſſe, ſeu proſperi, ſeu aduerſi, quod Deus non animaduertat & gubernet. Eſt autem hoc efficaciſsimum remedium aduerſus omnia, ut qualeſcunque conuerſiones rerum fiant ſeu publicarum, ſeu priuatarum, eas æquo animo perferamus: nec in ſecundis inſoleſcamus, nec in aduerſis deijciamur: neminem quantumuis afflictum contemnamus: nemini quantumuis abundanti adulemur. nec aliorum fortunam ita admiremur, ut nos pœniteat noſtræ: etiam ſi periculis opprimamur, nec unquam uel ad opes perueniamus, uel ad ullas dignitates euehamur. Plena eſt hiſtoria Sauli & Dauidis regum Iudææ (quos hoc loco exempli cauſa proponi ſatis ſit) uiciſsitudinum, uarietatum, commutationum, quæ declarant qui & quales uiri illi fuerint. Vterq; humili loco natus eſt: uterq; ad regni gubernacula à cura pecorum uocatus: uterq; in magnis Reip. neceſsitatibus ac periculis grauiſsimis uerſatus. Verùm nõ eodem modo uterq; in munere ſuo ſe tractauit. Saulus cũ prouidentiæ Dei uel imperitus eſſet, uel ei ſubditus eſſe nollet, ea impedire & auertere conabatur, quæ Deo decreta fuiſſe, debebat non ignorare. Itaq; Dauidi, ne poſt ſe rex eſſet, necem machinabatur. Ionathani iraſcebatur, propter eius in Dauidem beneuolẽtiam. Sacrificia Dei iniuſſu peragebat, nec ſine ingenti acerbitate audiuit regnum ſibi ſuiſq; poſteris ereptũ iri. Deniq; cum à Deo prorſus deſperaret, rebus aduerſis fractus, à ſpiritu malo

per

per Pythonissam consilium & auxilium petebat. Contrà Dauid, quàm diuinæ prouidentiæ obseruans fuerit, eadem historia testatur. Qui cùm apud patrem gregem pasceret, accersitus ex pascuis, nec unquam de regno cogitans, rex in adolescentia est designatus. Quot uerò & q̃ uarijs casibus iactatus, quantis & quàm diuturnis calamitatibus exagitatus est, anteqũ regni possessionem adierit? Saulo uiuo multos annos uitam uagam, amaram, solicitudinum plenam degebat. Cuius tot & tantas insectationes pertulit, ut uix uno passu se à morte distare diceret. 1. Reg. 20.

Cùm autem Saulo mortuo regno potiretur, quot plagæ illi diuinitùs iniectę sunt? Quantis optimatum odijs, quantis undiq; difficultatibus exagitatus est? Qualis uerò illa fuga erat, cũ Hierosolyma relicta, Absalome persequente, fugere cogeretur? In qua fuga Sadocũ Pontificem, & ipsum fugientẽ, arcamq; diuini fœderis gestantem, sic alloquitur: Redi tu, & arcam tecum refer in urbẽ. 2. Reg 15. Si mihi Deus propitius erit, reuocabit me: mihiq; & arcam & domicilium suũ exhibebit. Sin me sibi placere negauerit, faciat sanè mihi quod ei uisum fuerit. Quid illud cũ Abisæum conuicia Semeis ultum ire uolentẽ dehortatur his uerbis: Quid si Deus Semein impellit ad Dauidi maledicendũ? quis ab illo facti rationẽ reposcat? Filius meus mortẽ mihi machinatur: quid faciet leminiensis? Sine ut maledicat: nã à Deo missus est. Qui Deus fortasse meam miseriam respiciet, & bona mihi pro hodiernis huius conuicijs rependet. O uocem uiri afflatu numinis pleni, quæ declarat, illum prouidentiam Dei tanquam clypeum firmissimum obiecisse telis omnibus rerum aduersarum. De quibus ipse sic canit, sese consolando: Fugas meas tu numeratas habes: Lachrymas meas repones in utrem tuum: nonne in libro tuo hæc scripta sunt? Psal. 56. Grauiter & explicatè affirmat,